BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
23 C
5

[illegible] Google

PROPUGNATIO PHILOSOPHIÆ THOMISTICÆ.

CONTRA
Carteſium, Gaſſendum, Cabeum, Maignanum, cæteroſq; recentioris Philoſophiæ propagatores.

TOMUS QUARTUS.

Qui complectitur quartam Phyſicæ partem, & Ethicam.

Auctore R. P. JOSEPHO RIVALIER, *Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Theologo, nec-non Philoſophiæ Profeſſore in Collegio Squillano Toloſæ primario.*

Ex Libris Patrum [illegible] Romanae [illegible] in Monticellis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TOLOSÆ,

Apud J. PECH, Comitiorum Fuxenſium Typographum, juxtà Collegium PP. Societatis JESU, ſub ſigno Nominis JESU. 1684.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

12.23.C.5

INDEX
TITULORUM.

QVARTA ET VLTIMA Phyſicæ pars.

De ente animato. 1

TRACTATUS I.

De animâ in communi. 2

QUÆSTIO I.

De eſſentiâ, diviſione & informatione animæ. ibid.

ART. I. *Quid & quotuplex ſit anima.* 3

ART. II. *De informatione animæ.* 7

ART. III. *De indiviſibilitate animæ.* 10

ART. IV *Utrum duæ animæ & duæ formæ ſubſtantiales poſſint informare eandem numero materiam, & utrum una forma poſſit informare duas materias totales & adæquatas.* 14

ART. V. *Utrum detur forma corporeitatis.* 19

ART. VI. *Utrum in vivente dentur formæ ſubſtantiales partiales.* 26

QUÆSTIO II.

De potentiis animæ. 31

ART. I. *Utrum potentiæ animæ diſtinguantur realiter ab ipſâ ſubſtantiâ animæ.* ibid.

ART. II. *Utrum potentiæ animæ ſpecificentur per ordinem ad ſuos actus & objecta.* 34

ART. III. *A quo producuntur potentiæ operativæ.* 36

TRACTUS II.

De animâ vegetativâ. 37

QUÆSTIO UNICA.

De animâ vegetativâ. ibid.

Art. I. *An detur anima vegetativa in plantis.* ibid.
Art. II. *De definitione & potentiis animæ vegetativæ.* 41
Art. III. *De potentiâ nutritivâ, ejuſque objecto.* 42
Art. IV. *Utrum in ſolis viventibus fiat vera & propria nutritio.* 44
Art. V. *Utrum omnes corporis partes nutriantur eodem modo.* 45
Art. VI. *Utrum nutritio fiat toto vitæ tempore.* 47
Art. Ult. *De accreſſione.* 48

TRACTATUS III.

De animâ ſenſitivâ. 50

QUÆSTIO I.

De animâ ſenſitivâ in communi. 51

Art. I. *Utrum detur anima ſenſitiva in brutis.* ibid.
Art. II. *Utrum ratio propriè dicta ſit in brutis.* 65
Art. Ult. *Quid ſit anima ſenſitiva.* 68

QUÆSTIO II.

De potentiis extrinſecis animæ ſenſitivæ. 69

ART. I. *De ſenſibus in communi.* *ibid.*

ART. II. *De ſpecierum ſenſibilium & intentionalium exiſtentiâ* contra Carteſium. 70

ART. III. *De naturâ ſpecierum ſenſibilium,* contra Epicurum. 75

ART. IV. *Utrum ſenſibilis perceptio fiat in ſenſuum exteriorum organis, vel in cerebro.* Contra Carteſium. 78

QUÆSTIO III.

De tactu. 83

ART. I. *De organo & medio.* *ibid.*

ART. II. *De ſpeciebus pro tactu neceſſariis, & utrum organum tactûs debeat Phyſicè & non tantum intentionaliter immutari.* 85

ART. ULT. *De quibuſdam problematis ad tactum pertinentibus.* 86

QUÆSTIO IV.

De guſtu. 88

ART. I. *De organo, medio, & objecto*

guſtûs. Contra Carteſium & Gaſſendum. *ibid.*
ART. II. *De ſpeciebus pro guſtu neceſſariis, & de quibuſdam problematis ad guſtum ſpectantibus.* Contra Carteſianos. 91

QUÆSTIO V.

De odoratu. 79
ART I. *De organo odoratûs.* *ibid.*
ART. II. *De odore.* Contra Carteſium & Gaſſendum. 100
ART. III. *De ſpeciebus pro odoratu neceſſariis,* contra plurimos recentiores. 105
ART. IV. *De quibuſdam problematis ad odorum ſpectantibus.* 107

QUÆSTIO VI.

De auditu. 110
ART. I. *De organo auditûs.* *ibid.*
ART. II *De ſono*, contra Carteſianos. 112
ART. III. *De ſono*,contra Gaſſendũ.120
ART. IV. *De ſpeciebus pro auditu neceſſariis.* 124
ART V. *Utrum ſonus recipiatur in corporibus colliſis, ſive ſonantibus:*

an in ſolo corpore intermedio. 126
ART. VI. *Utrum ſolus aër ſit ſubjectum capax ſoni ſecundum eſſe reale ſpectati.* 128
ART. VII. *Quodnam ſit ſubjectum ſoni ſecundum eſſe intentionale ſpectati.* 130
ART. VIII. *De voce directa & reflexa.* 131
ART. ULT. De *quiſdam problematis ad auditum ſpectantibus.* 132

QUÆSTIO VII.

De *potentiâ viſivâ.* 134
ART. I. De *organo medio, objecto & operatione potentiæ viſivæ.* 134
ART. II. De *lumine reflexo.* 136
ART. III. De *lumine refracto.* 142
ART. IV. De *coloribus* . . . . . contra Carteſium. 142
ART. V. De *ſpeciebus ad viſionem neceſſariis.* 145
ART. VI. *De quibuſdam problematis ad viſionem ſpectantibus.* 152

QUÆSTIO ULTIMA.

De *potentiis internis animæ ſenſitivæ.* 154
ART. I. *Quot, & quid ſint ſenſus interni.* 154

ART. II. De *appetitus ſenſitivi organo, & de potentiâ loco motiva.* 157

TRACTATUS IV. ET ULT.

De *anima rationali.* 159

QUÆSTIO I.

De *anima rationali ſecundum ſe.* 160
ART. I. *Quid ſit anima rationalis. ibid.*
ART. II. *Vtrùm anima rationalis ſit ſpiritualis.* 161
ART. III. *Vtrum anima rationalis ſit immortalis.* 163
ART. IV. *Vtrùm omnes animæ ſint ejuſdem perfectionis ſubſtantialis.* 165

QUÆSTIO ULTIMA.

De *potentiis animæ rationalis.* 166
ART. I. De *intellectu.* *ibid.*
ART. II. *Vtrùm ſcientia fides & opinio poſſint ſimul ſtare in eodem intellectu circo idem objectum formaliter ſumptum.* 169
ART. ULT. De *voluntate.* 177

FINIS.

Extrait du Privilege du Roy.

PAr les Lettres Patentes du Roy données à Chaville le vingt-ſixiéme jour du mois de Juin 1683. ſignées par le Roy en ſon Conſeil, Jonquieres. Il eſt permis au Pere JOSEPH RIVALIER de la Doctrine Chreſtienne, Profeſſeur en Philoſophie au College de Leſquille de Toloſe, de faire imprimer par tel Imprimeur ou Libraire qu'il voudra choiſir un Livre, intitulé *Propugnatio Philoſophiæ Thomiſticæ contra Carteſium, Gaſſendum, &c.* en tels volumes, marges, & caracteres, autant de fois qu'il voudra ; & ce pendant le temps de ſix années entieres & conſecutives, à commencer du jour que le Livre ſera achevé d'imprimer pour la premiere fois, avec défenſes à tous Imprimeurs, Libraires & autres, de l'imprimer & debiter ſans le conſentement dudit expoſant, à peine de confiſcation des exemplaires, & de trois mille livres d'amandes, dépens, dommages & intereſts, comme il eſt porté plus au long par leſdites Lettres.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, le 1. jour de Juillet 1683.

DANGOT Syndic.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois, le 24. Mars 1684.

Les exemplaires ont eſté fournis.

QUARTA ET ULTIMA PHYSICÆ PARS.

De ente animato.

OMISSIS plurimis quæ plurimi referunt Philoſophi ad commendandam ſcientiam quæ de ente animato, ſeu de animâ diſputat, mox ad diviſionem hujus ultimæ phyſicæ partis venio. Quatuor ergo tractatus iſta quarta & ultima phyſicæ pars continebit. In primo agetur de anima in communi. In ſecundo de animâ vegetativa. In tertio de animâ ſenſitivâ. In ultimo, de animâ rationali.

TRACTATUS I.

De animâ in communi.

DUas quæſtiones complectetur iſte tractatus. In 1. agetur de eſſentiâ, diviſione, & informatione animæ. In 2. de potentiis animæ.

QUÆSTIO I.

De eſſentiâ , diviſione & informatione animæ.

UT eſſentia animæ cognoſcatur, ipſius quæretur definitio, & circa animæ informationem quæretur utrum plurimæ formæ poſſint eſſe ſimul in eadem materiâ; quædam poſtea dicentur de indiviſibilitate animæ.

ARTICVLUS I.

Quid, & quotuplex ſit anima.

DIcendum eſt animam definiri *actum primum corporis phyſici organici potentiâ vitam habentis,*

Prob. & expl. def. 1. Dicitur *actus primus*, hoc eſt ſubſtantialis, quia actus ſubſtantialis nullum alium præſupponit, cùm det eſſe ſimpliciter, & faciat unum per ſe: 2. Dicitur *actus corporis*, & per hoc diſtinguitur à ſubſtãtiâ per ſe ſubſiſtente quæ nullum dicit ordinem ad corpus, cùm ſit omninò immaterialis: 3. Dicitur *actus corporis Phyſici*, quia anima eſt actus conſtituens corpus in eſſe corporis, hoc eſt communicans materiæ capacitatem ad recipiendas tales & tales dimenſiones. 4. Dicitur *actus corporis organici*, quia cum anima habeat diverſas operationes, exigit ſubjectum organiſatum, hoc eſt materiam habentem diverſas partes diverſo modo diſpoſitas & aptas ad eliciendas tales operationes. 5. Denique dicitur *actus corporis potentiâ vitam habentis*, quia anima eſt primum principium activum, & prima radix operationum vitalium, quod non habent formæ inanimatæ: duplex autem eſt vita, alia ſubſtantialis, & in actu primo; altera accidentalis & in actu ſecundo. Primâ eſt ipſa anima quæ eſt principium ſubſtantiale & radicale omnium operationum vitalium: altera verò

eſt operatio procedens à tali principio , qualis eſt nutritio & intellectio,quæ operationes appellantur operationes vitales : unde vivere formaliter eſt ſe movere ab intrinſeco, ſive habere principium intrinſecū elicitivum illarum operationum ; ergo anima rectè definitur , *actus corporis organici potentiâ vitam habentis* : vel etiam anima definitur , *illud quo vivimus , movemur , ſentimus , & intelligimus.* Quæ definitio manifeſta eſt ex terminis,quia per eam nihil aliud intelligitur quàm principium omnium operationum vitalium.

Dicendum eſt 2. utramque hanc definitionem convenire animæ rationali.

Prob. anima rationalis eſt vera forma homis & corporis humani ; ergo utraque hæc definitio convenit animæ rationali. Prob. ant. forma eſt illud quo primò aliquid operamur : ſed anima eſt illud quo primò intelligimus , & intellectio eſt præcipua hominis operatio ; ergo anima rationalis eſt vera forma hominis , & corporis humani. Præterea illud habet rationem formæ quod conſtituit intrinſecè hominem in certâ ſpecie & ipſum eſſentialiter à cæteris diſtinguit : atqui anima rationalis conſtituit intrinſecè hominem in certâ ſpecie , & ipſum etiam eſſentialiter diſtinguit à cæteris animalibus ; ergo anima rationalis eſt vera, & propria forma hominis & corporis humani. Illis etiam rationibus accedit determinatio Eccleſiæ ; nam in Concilio Generali Viennenſi ſub Clemente V. definitum fuit animam rationalem eſſe veram formā corporis humani; & in Clementinis cap. de SS. Trinitate, expreſsè

habetur, *Doctrinam omnem, ſeu poſitionem temerè aſſerentem aut vertentem in dubium, quòd ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectivæ verè ac per ſe humani corporis non ſit forma, velut erroneam, ac veritati Catholicæ inimicam reprobamus.*

Ob. 1. quod eſt per ſe ſubſiſtens non poteſt eſſe forma, ſiquidem forma non eſt illud quod ſubſiſtit, ſed eſt illud quo tantùm compoſitum exiſtit: atqui anima rationalis eſt per ſe ſubſiſtens, cùm ſeparata à corpore ſubſiſtat; ergo anima rationalis non eſt vera forma corporis humani.

Reſp. neg. maj quia licet anima rationalis ſit per ſe ſubſiſtens, poteſt tamen communicare eſſe corpori, & ita anima rationalis eſt illud quod per ſe ſubſiſtit, & illud quo mediante compoſitum ſubſiſtit, & proinde anima rationalis quaſi mediat inter formas purè ſpirituales & purè corporeas, hoc eſt inter Angelos, & animas brutorum; habet enim cum Angelis, ut ſeparata à corpore per ſe ſubſiſtat, & habet cum formis brutorum, ut in unione cum materiâ, communicet ſuum eſſe corpori.

Obj. 2. operationes animæ rationalis, ut velle & intelligere, non recipiuntur in ſubjecto corporeo propter ſuam immaterialitatem; ergo anima quæ ſecundum ſuum eſſe non eſt minus immaterialis quam ipſius operationes, non poteſt recipi in ſubjecto corporeo.

Reſp. conc. ant. diſt. conſ. anima non poteſt recipi in corpore, eodem modo quo aliæ formæ recipiuntur in materiâ, con. diverſo modo, neg. quia anima rationalis convenit

cum aliis formis ſubſtantialibus, & differt ab illis; convenit in hoc quòd ſicuti aliæ formæ receptæ in materiâ, dant eſſe materiæ, & toti compoſito; ita anima rationalis recepta in corpore, dat eſſe corpori; ſed anima differt ab illis, ex eo quod aliæ formæ dependent à materia in fieri, in eſſe & conſervari, & recipiuntur in materiâ cum tranſmutatione materiæ; & ita illæ formæ dicuntur educi de potentiâ materiæ, ut jam probatum fuit in prima parte Phyſicæ. Sed anima rationalis non dependet à materiâ in fieri, in eſſe, & conſervari, & non recipitur in materiâ cum tranſmutatione materiæ, & proinde non dicitur educi.

Obj. 3. & ult. quod ſecundum ſe & eſſentialiter eſt forma corporis, debet eſſe ſemper in corpore: Atqui anima rationalis non eſt ſemper in corpore; ergo ſecundum ſe non eſt forma corporis.

Reſp. diſt. maj. quod ſecundum ſe & eſſentialiter eſt forma corporis, debet eſſe in corpore actu vel aptitudine, con. actu ſemper, neg. quia ut inquit S. Thom. 1. p. q. 76. a. 1. ad 6. *Secundum ſe convenit animæ uniri corpori, ſicut ſecundum ſe convenit corpori levi eſſe ſurſum, & ſicut corpus leve manet quidem leve, cùm à loco proprio fuerit ſeparatum, cum aptitudine tamen & inclinatione ad proprium locum; ita anima manet in ſuo eſſe, cum fuerit à corpore ſeparata, habens inclinationem naturalem ad corporis unionem.*

Dicendum eſt 3. & ult. animam adæquatè dividi in vegetativam, ſenſitivam & intellectivam.

Prob. tot ſunt ſpecies animæ, quot ſunt gradus vitæ, atqui tres ſunt gradus vitæ; ſiquidem in plantis reperitur vegetatio ſine cognitione ſenſibili; in brutis reperitur ſenſatio cum vegetatione ſine cognitione intellectuali: in homine verò reperitur cognitio intellectualis cum vegetatione & ſenſatione; ergo dantur tres gradus vitæ, & proinde anima rectè dividitur in vegetativam, ſenſitivam & rationalem.

ARTICULUS II.

De informatione animæ.

Dicendum eſt ungues, dentes, capillos & ſanguinem animari animâ totius.

Prob. quod elicit operationes vitales, eſt animatum animâ totius; atqui ſanguis, ungues, dentes & capilli eliciunt operationes vitales, augentur enim & nutriuntur accreſſione & nutritione propriè dictâ; ergo omnes illæ partes ſunt animatæ animâ totius. prob. min. quæ habent venas, fibras, nervos & poros quibus attrahant alimenta, nutriuntur nutritione propriè dicta: atqui illa omnia conveniunt prædictis partibus; ergo prędictæ partes augentur & nutriuntur accreſſione & nutritione propriè dictâ, & proinde illę partes ſunt animatæ animâ totius. Si verò D. Thom. dicat quòd ſanguis non eſt actu pars, ſed tantùm in potentiâ, vel loquitur de imperfecto & inchoato, non verò de ſanguine perfecto; vel dicendum quòd ſanguis

eſt tantùm pars in potentiâ reſpectu carnis, & aliarum partium in quas tranſit, nam ſicut elementa ſunt partes mundi actu & permanenter, & tamen ſunt in potentiâ reſpectu mixtorum: ita ſanguis ſecundum ſe eſt pars actualis totius, licet ſit in potentiâ reſpectu carnis, & aliarum partium.

Obj. 1. ſi ſanguis eſſet animatus, anima eſſet in plurimis ſubjectis, atqui anima non poteſt eſſe in plurimis ſubjectis, ergo ſanguis non eſt animatus. prob. ſeq. maj. ſanguis non facit unum ſubjectum cum cæteris partibus corporis, quia non eſt continuus cum illis; ergo ſi ſanguis eſſet animatus, anima eſſet in diverſis ſubjectis. prob. ant. Ariſt. lib. 2. de partibus animalium cap. 3. ait, *Quod ſanguis non eſt cõtinuus cordi, ſed in corde ac venisquaſi in vaſe aquæ continetur*; ergo ſanguis non eſt continuus cum cæteris partibus corporis, & proinde non facit unum ſubjectum cum illis.

Reſp. neg. ſeq. maj. ad cujus prob. neg. ant. & diſt. Ariſt. auth. ſanguis non eſt continuus cordi, immediatè, con. mediatè neg. quia licet ſanguis ſit liquidus, verè continuatur cum cæteris partibus corporis, mediantibus tenuiſſimis fibris per quas unitur venis, & per venas carni, & conſequenter toti corpori.

Inſt. ſi ſanguis uniretur venis per fibras, ſequeretur quòd gravis ſentiretur dolor quando extraheretur ſanguis, quia tunc rumperentur illæ fibræ: atqui experientiâ conſtat quòd gravis non ſentitur dolor: ergo ſanguis non unitur venis mediantibus fibris.

Reſp. neg. ſeq. maj. quia cùm illæ fibræ

ſint tenuiſſimæ, & cùm non informentur ſecundum gradum ſenſitivum, ideò nullus ſentitur dolor, quando ſanguis extrahitur.

Obj. 2. Corpus Chriſti ponitur in Euchariſtiâ ſub ſpecie panis vi verborum, ſanguis verò per concomitantiam: atqui ſi ſanguis eſſet animatus & una pars integralis corporis poneretur vi verborum; ergo ſanguis non eſt animatus.

Reſp. neg. min. quia cùm corpus ponatur ſub ſpecie panis per modum cibi, ſanguis & aliæ partes fluidæ non poſſunt poni formaliter & vi verborum, ſed ſolùm per concomitantiam. Quando ergo Concil. Tridentinum dicit quòd ſanguis ponitur per concomitantiam, ſcilicet vi conjunctionis quam habet cum cæteris partibus corporis, manifeſtè indicat ſanguinem eſſe partem integralem & continuatam cum cæteris partibus corporis, & proinde ſanguinem eſſe animatum.

Obj. 3. & ult. ungues & capilli non creſcunt ex alimento per virtutē animæ decocto, ſed ex ciborum ſuperfluo, creſcunt quoque in mortuis, denique illa omnia non fuerunt aſſumpta à verbo divino, quia nuſquam dimiſſet; ergo ungues & capilli non animantur.

Reſp. neg. conſeq. quia cùm omnes partes corporis non ſint ejuſdem rationis & perfectionis, non poſtulant etiam alimentum ejuſdem rationis; ungues autem & capilli in mortuis per juxta poſitionem humorum ad radices qui ob viſcoſitatem ipſis adhærent & agglutinantur; denique illud axioma allatum debet intelligi ſolùm de præcipuis partibus, v. g. de animâ & corpore, non autem minutis partibus.

ARTICULUS III.

De indiviſibilitate animæ.

DIcendum eſt 1. animam rationalem & animas animalium perfectorum eſſe indiviſibiles, & informare modo indiviſibili.

Prob. ſicut anima non eſt quanta ratione ſui, ſed tantùm ratione ſubjecti in quo eſt; ita non eſt diviſibilis niſi ratione ſubjecti; ergo anima rationalis & animæ animalium perfectorum ſunt formaliter indiviſibiles, ſi ſubjectum illarum animarum ſit formaliter indiviſibile: atqui ſubjectum illarum animarum eſt formaliter indiviſibile; ergo anima rationalis, & animæ animalium perfectorum ſunt formaliter indiviſibiles. prob. min. ſubjectum animæ rationalis, & animarum animalium perfectorum eſt corpus organicum, & illud corpus non poteſt dividi in duo corpora quorum utrumque habeat eadem membra; ergo ſubjectum illarum animarum eſt formaliter indiviſibile. Præterea animæ plantarum, & animalium imperfectorum ſunt diviſibiles, ut infra probabitur, quia quando plantæ & animalia imperfecta dividuntur, utraque pars diviſa & ſeparata vivit; ergo ſi quando animalia perfecta diuiduntur, utraque pars ſeparata non vivat, animæ illorum animalium perfectorum ſeparatæ non vivunt: ſi verò caput aliquando ſeparatum à trunco moveatur

& ſi pars aliqua corporis ſeparata à corpore v. g. naſus vel auricula, ad vitam reſtituatur quando corpori conjungitur, illud non provenit ab anima quæ remaneat in capite, & in alia parte ſeparata; caput enim ſeparatum à trunco movetur per aliquos ſpiritus vitales qui intra capitis partes incluſi conantur exire, & cauſant talem motum: ſimiliter aliæ partes ſeparatæ à corpore, reſtaurantur ad vitam, quia retinent in ſe ſimiles diſpoſitiones, & ita non implicat illas iterùm uniri corpori, calore naturali diſponi, & animâ informari.

Obj. 1. animam rationalem eſſe indiviſibilem, eſt eſſe totam in toto, & totam in qualibet parte: atqui anima rationalis non poteſt ita informare corpus; ergo anima rationalis non eſt indiviſibilis. prob. min. ſi anima eſſet tota in capite, non eſſet in pedibus: atqui non poteſt dici quòd anima non ſit in pedibus; ergo non poteſt dici quòd anima ſit tota in capite.

Reſp. neg. min. ad cujus prob. diſt. maj. ſi anima eſſet tota & totaliter in capite; non eſſet in pedibus, còn. ſi eſſet tota, & non totaliter, non eſſet in pedibus, neg. quia licet anima ſit tota in capite, non eſt tamen totaliter, quia eſt extra caput, ſicuti Deus eſt totus in Petro v. g. non eſt tamen totaliter, quia eſt extra Petrum, cùm ſit ubique.

Obj. 2. ſi anima eſſet tota in qualibet parte, reciſâ unâ parte, vel auferretur anima, vel transferretur ex illa parte ad aliam, & ito eſſet bis tota in eadem parte, quæ omnia abſurda; ergo occiſâ una parte corporis, una

pars animæ dividitur ab aliâ.

Reſp. neg. ant. & conſeq. & dico quòd reciſâ aliquâ corporis parte, non aufertur anima, neque retrahitur, aut transfertur ad aliam partem, ſed anima ceſſat informare illam partem; ſicuti ſi corrumpatur media pars hoſtiæ, Corpus Chriſti deſinit eſſe præſens in tali parte, non retrahitur, aut transfertur ad aliam partem, vel ad cœlum: & ita non dicendum quod reciſâ corporis parte, una pars animæ dividatur ab aliâ; nam ſi illud ita contingeret, vel illa pars animæ informaret ſemper eandem corporis partem, vel informare deſineret, non poteſt dici quòd ſemper informet eandem corporis partem, quia conſtat quòd illa corporis pars putreſcit, & omnes animæ diſpoſitiones amittit: non poteſt etiam dici quòd informare deſinat, nam quando informare deſineret, vel illa pars interiret, vel illa pars ſeparata conſervaretur, non poteſt dici quòd illa pars intereat, inde enim ſequeretur quòd anima non eſſet immortalis, cum non ſit major ratio quòd una pars ſit mortalis, quàm alia: non poteſt dici quòd ſeparata conſervetur, quia ſi conſervaretur, ſequeretur quòd in futurâ vitâ tot reperirentur animæ rationales, quot fuerunt partes diviſæ in corpore; & ſic aliæ partes eſſent damnatæ, ſi præciſæ fuerint homini exiſtenti in peccato mortali: aliæ verò ſalvæ fierent, ſi homo in Dei gratia obierit, quæ omnia valdè abſurda ſunt, ut patet.

Obj. ult. ideò anima rationalis eſt indiviſibilis, quia eſt ſpiritualis: atqui animæ bru-

torum

torum non ſunt ſpirituales; ergo non ſunt indiviſibiles.

Reſp. neg. maj. quia anima rationalis non eſt indiviſibilis ex eo præciſè quòd ſit ſpiritualis, ſed quia ſubjectum animæ rationalis eſt formaliter indiviſibile, & proinde cùm animæ brutorum recipiantur in ſubjecto formaliter indiviſibili, ſequitur quòd animæ brutorum ſunt formaliter indiviſibiles.

Dicendum eſt ult. animas plantarum & animalium imperfectorum eſſe diviſibiles, & informare modo diviſibili.

Prob. ratione de ſumptâ ex S. Thom. lib. 2. de animâ lect. 4. *Manifeſtatur*, inquit, *animas plantarum eſſe diviſibiles, ex eo quod ramuſculi abciſi inſeruntur, plantantur, & coaleſcunt, quod non eſſet in illis, niſi remaneret vita, & per conſequens anima quæ eſt principium vitæ: ſic etiam videmus in imperfectis animalibus quæ abſciſa vivunt, quia utraque pars habet ſenſum, nam retrahit ſe, ſi pungatur, & etiam fit motus ſecundum locum*: ergo animæ animalium imperfectorum & plantarum ſunt diviſibiles, & informant modo diviſibili.

ARTICULUS IV.

Vtrùm duæ animæ, & duæ formæ ſubſtantiales poſsint informare eandem numero materiam; & utrùm una forma poſsit informare duas materias totales & adæquatas.

DIcendum eſt 1. duas animas & duas formas ſubſtantiales non poſſe informare etiam divinitùs eandem numero materiam.

Prob. 1. illæ animæ eſſent formæ ſubſtantiales, & non eſſent; eſſent, ut ſupponitur, & non eſſent, quia proprium formæ ſubſtantialis eſt dare eſſe ſimpliciter, & facere unum per ſe cum materiâ; atqui ſi materia habens unam animam, informaretur aliâ animâ, una ex illis non faceret unum per ſe, nec daret eſſe ſimpliciter; ergo una ex illis non eſſet forma ſubſtãtialis. Prob. min. quoad omnes partes. 1. Materia haberet eſſe ab unâ formâ; ergo altera non daret eſſe: 2. Quidquid advenit enti in actu, non facit unum per ſe, ſed per accidens: atqui una anima adveniret enti in actu, ſcilicet materiæ habenti eſſe; ergo illa anima non faceret unum per ſe, & proinde duæ animæ ſunt incompoſſibiles in eadem materiâ, quæ incompoſſibilitas non

:enet ex contrarietate formarum, ſed ex
i informatione formarum.
?rob. 2. ſi anima Leonis, v.g. & anima
minis poſſent eſſe in eadem materiâ, ſe-
ェretur quòd iſtæ prædicationes eſſent ve-
; homo eſt Leo, Leo eſt homo: atqui illud
n poteſt dici; ergo nec aliud. Prob. ſeq.
aj. iſtæ duæ propoſitiones ſunt veræ in ſac-
aro, album eſt dulce, dulce eſt album,
iia albedo & dulcedo ſunt in eodem ſubje-
o; ergo illæ propoſitiones homo eſt Leo,
eo eſt homo, deberent eſſe veræ, quia ex
ippoſitione anima hominis & anima Leonis
ſſent in eâdem materiâ.

Obj. 1. duo corpora divinitùs poſſunt eſſe
n eodem loco; ergo duæ animæ poſſunt eſſe
livinitùs in eadem materiâ. Prob. conſeq.
ideò duo corpora poſſunt eſſe divinitùs in
eodem loco, quia Deus poteſt tollere effe-
ctum ſecundarium quantitatis, ſcilicet impe-
dire ne illa corpora exerceant ſuam impene-
trabilitatē: atqui Deus poteſt ſimiliter tollere
effectū ſecundarium animarū, ſcilicet expul-
ſionem unius ab aliâ; ergo duæ animæ poſ-
ſunt eſſe divinitùs in eâdem materiâ.

Reſp. 1. neg. conſ. & parit. quia illa duo
corpora poſita in eodem loco habent ratio-
tionem unius in virtute locabili; duæ autem
formæ non poſſunt habere rationem unius in
virtute informandi, quia informant ut di-
ſtinctæ.

Reſp. 2. neg. conſ. & ad illius prob. diſt.
maj. Deus poteſt tollere effectum ſecunda-
rium poſitivum, nec valde intimum, con.
privativum, & valdè intimum, neg. quia ex-

pulſio unius corporis ab alio eſt effectus poſitivus, quia fundatur in contactu poſitivo ſecundum extremitatem, nec eſt effectus valdè intimus, quia non ſequitur immediatè ad effectum primarium quantitatis, ſiquidem quantitas primò extendit partes in ordine ad ſe: 2. extendit partes in ordine ad locum: 3. expellit aliud corpus, & ita expulſio unius corporis ab alio, eſt effectus quantitatis qui ſequitur ad extenſionem in ordine ad ſe, & ad extenſionem in ordine ad locum: expulſio autem unius formæ ab aliâ eſt effectus privativus, quia conſiſtit in informatione quę exigit, ut materia careat omni formâ; eſt etiam effectus valdè intimus, quia de ratione formæ ſubſtantialis eſt dare eſſe ſimpliciter, & facere unum per ſe.

Obj. 2. duæ formæ accidentales poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubjecto, ſaltem divinitùs; ergo duæ formæ ſubſtantiales poſſunt eſſe in eadem materiâ, ſaltem divinitùs.

Reſp. neg. conſ. & parit. ratio diſparitatis deſumitur ex diſcrimine quod repetitur inter formas accidentales & formas ſubſtantiales; ſiquidem formæ accidentales non dant eſſe ſimpliciter, ſed tantùm ſecundum quid, & non faciunt unum per ſe, ſed tantùm per accidens, & proinde duæ formæ accidentales poſſunt eſſe in eodem ſubjecto, ſaltem divinitùs. Sed cùm formæ ſubſtantiales debeant dare eſſe ſimpliciter, & facere unum per ſe, pręſupponunt materiã ſpoliatam omni formâ, & proinde duæ formæ ſubſtantiales non poſſunt informare eandem materiam.

Obj. 3. in homine non tantùm ſunt opera-

es animæ rationalis, ſed etiam operatio-
animæ ſenſitivæ & vegetativæ; ergo in
ine debent eſſe tres animæ diſtinctæ, &
nde plures animæ poſſunt informare
lem materiam.
eſp. neg. conſeq. quia licet in homine
non tantùm operationes animæ rationa-
ſed etiam operationes animæ ſenſitivæ
getativæ, non tamen inde conjiciendum
juod in homine ſint tres animæ, ſed
ùm eſt anima rationalis quæ includit &
inet eminenter ſenſitivam & vegetati-
, quia ut ait S.Th. 1. part. quæſt. 76. art.
Inima ſuperior & perfectior continet infe-
m & imperfectiorem, in rebus enim ſubor-
is perfectius continet imperfectius, ſic ſi-
quadrata continet triangulum, ſic nume-
iperior continet inferiorem
ſt. atqui anima rationalis & ſenſitiva
iguntur in homine; ergo nulla ſolutio.
. ſubſ. corruptibile & incorruptibile di-
iptur realiter: atqui anima ſenſitiva eſt
ptibilis, & anima rationalis incorrupti-
; ergo anima rationalis & ſenſitiva di-
intur realiter in homine.
ſp. neg. ſubſ. & ad prob. diſt. min. ani-
iæ eſt ſolùm ſenſitiva, eſt corruptibilis,-
inima quæ eſt ſenſitiva & ſimul ratio
, neg. quia anima quæ eſt ſolùm ſenſiti-
t quidem corruptibilis, ſiquidem ope-
ies illius animæ ſenſitivæ ſunt materia-
: corporeæ, quæ proinde ſolæ, non
nt principium incorruptibile: anima
i quæ ſimul eſt vegetativa, ſenſitiva, &
nalis, non eſt corruptibilis, quia ex hoc

quòd eſt intellectiva, ingreditur ordinem ſubſtantiarum immaterialium quibus debetur incorruptibilitas.

Obj. ult. S. Auguſt. 17. de civitate Dei cap. 8. refert aliquem ſuo tempore natum qui manus quatuor, duo pectora & capita duo, ventrem tamen unicum, & duos dumtaxat pedes habebat, in illo monſtro erat duplex anima quod conjicitur ex hoc quod determinatum fuerit ab Eccleſiâ, in illis caſibus duplex eſſe applicandum baptiſma: ſed illa duplex anima erat etiâm in unoquoque pede, quod conjicitur, quòd ubi perpungebatur aciculâ, dolor percipiebatur ab utroque homine; ergo duæ animæ poſſunt eſſe ſimul in eadem materiâ.

Reſp. neg. min. quia S. Auguſt. loquens de illo monſtro, non docet quòd dolor perciperetur ab utroque homine, quando unus pes pungeretur aciculâ; ſi tamen illud gratis concedatur.

Reſp. 2. quòd inde non eſt conjiciendum quòd in pede ſit duplex anima, ſed dolor percipitur ab utroque, quia pectora utriuſque hominis concurrunt ad unum & eundem ventrem; ita ut ſpiritus vitales utriuſque hominis ſimul commiſceantur, & ſenſus tactus ſimul etiam uniantur, & ratione talis commixtionis ſpirituum vitalium, & ratione unionis ſenſuum tactus, dolor ab utroque percipitur.

Dicendum eſt 2. unam formam non poſſe eſſe etiam divinitùs informare duas materias totales & adæquatas,

Prob. illa forma eſſet una & multiplex,

a reciperetur in diverſis materiis; ſiqui-
a forma individuatur à materiâ: ubi eſt
o multiplex principium individuationis,
debet eſſe multiplex forma individuata.

ARTICULUS V.

trùm detur forma corporeitatis.

NOtandum eſt 1. corpus eſſe duplex; aliud
Mathamaticũ; aliud eſt Phyſicũ. Corpus
hematicũ eſt ſubſtantia quæ habet trinam
ienſionem, ſcilicet longitudinem, latitudi-
a & profunditatem: Corpus verò phyſi-
a eſt illa ſubſtantia quæ exigit illam trinam
ienſionem: quia verò talis exigentia pro-
it à formâ, variantur illæ exigentiæ pro di-
ſitate formarum. Difficultas ergo proce-
utrùm præter formam ſpecificam per
im compoſitum conſtituitur tale, detur
i forma communis & generica per quam
ſtantia habeat aptitudinem ad recipien-
n illam trinam dimenſionem, hoc eſt con-
uatur in eſſe corporis, utrùm v. g. in ho-
ne præter animam rationalem, detur alia
ma ſubſtantialis, quæ vocatur forma cor-
eitatis, ratione cujus compoſitum huma-
m conſtituatur in eſſe corporis.

Notandum eſt 2. quòd circa hanc difficul-
em triplex eſt opinio. Prima eſt Avicennæ
i docet dari formam corporeitatis à materiâ
eparabilem in omnibus compoſitis phyſi-

cis, quia generatio ſubſtantialis poſtulat ſubjectum corporeum, ſeu extenſum per quantitatem; quantitas autem non poteſt recipi in materiâ, niſi præceſſerit forma ſubſtantialis, quæ forma non poteſt eſſe alia quàm forma corporeitatis: ſecunda opinio eſt Scoti qui admittit talem formam corporeitatis in ſolis viventibus & animatis, & docet illam eſſe generabilem & corruptibilem: ita ut dum generatur Petrus, ante introductionem animæ rationalis, ab agente in materiâ producitur forma corporeitatis per quam Petrus habet eſſe corporeum ſubſtantiale, & mortuo Petro, remanet ipſa forma, donec ex mutuâ elementorum pugnâ oriatur aliqua forma ſpecifica vel elementi, vel mixti inanimati, & tunc corrumpitur forma corporeitatis. Tertia opinio eſt S.Th. qui docet non dari formam corporeitatis diſtinctam realiter à formâ ſpecificâ.

Dicendum eſt contra Scotum in nullo compoſito ſubſtantiali vivente dari formam corporeitatis diſtinctam realiter à formâ ſpecificâ,

Prob. ſufficit forma ſpecifica ad dandum eſſe corporeum, ſi in aliquo caſu aliquod compoſitum ſit corpus ſine formâ corporeitatis: atqui illud poteſt contingere; ergo ſufficit forma ſpecifica ad dandum eſſe corporeum. prob. min. ſecundum ſententiam adverſariorum materia poteſt divinitùs exiſtere ſine formâ: Hoc poſito, ſupponamus Deum producere animam Leonis in tali materia quantitate affectâ, tunc compoſitum erit corpus: atqui tale compoſitum erit corpus

:ormâ corporeitatis; ergo poteſt in ali-
caſu contingere quòd aliquod compoſi-
ſit corpus ſine formâ corporeitatis. prob.
tale compoſitum erit animal; ergo tale
›oſitum erit corpus. prob. conſequentia:
: animal eſt corpus: arqui tale compoſi-
:ſſet animal; ergo eſſet corpus. prob. maj.
feriori ad ſuperius valet conſequentia,
eſt homo; ergo eſt animal; erg[illegible]
al ſit inferius reſpectu corporis, valet iſta
:quentia; eſt animal: ergo eſt corpus, &
ıde verũ eſt quòd omne animal ſit corpus.
ob. 2. vel illa forma ſubſtantialis eſſet
ientalis, vel ſubſtantialis; ſi ſit acciden-
, ceſſat omnis quæſtio, ſi ſit ſubſtantialis,
poteſt dari, quia (ut jam probatum
duæ formæ ſubſtantiales non poſſunt
mare eandem materiam.
bj. 1. Anima eſt forma & actus corporis,
o enim recipitur & facit cum illo com-
ionem; ergo ſupponit corpus jam con-
um per formam ſcilicet corporeitatis,
oinde datur talis forma corporeitatis.
:ſp. diſt. ant. anima eſt forma & actus cor-
per illam conſtituti, con. ſine illa &
illam conſtituti, neg. quia licet ani-
licatur actus corporis, non eſt intelli-
ium quòd corpus conſtituatur ante ani-
, ſed quòd conſtituitur per illam: ſicuti
ıdo dicitur quòd albedo eſt forma albi, &
:ſt forma lucidi, non eſt intelligendum
l aliquid ſit album & lucidum ſine albe-
& luce, ſed quòd eſt album per albedi-
, & lucidum per lucem.
›j. 2. Corpus Chriſti ſeparatâ animâ re-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

manſit idem numero, ut colligitur ex Scripturâ ſacrâ, & ex SS. PP. Atqui Corpus Chriſti non fuiſſet idem numero, ſi non daretur forma corporeitatis; ergo debet dari forma corporeitatis; prob. min. corpus cujuſcumque hominis non eſt idem vivum & mortuum, quia vivum habet eſſe ab animâ, & mortuum habet eſſe à forma cadaveris, & cùm illę duæ formæ ſint diverſæ, eſſe corporis vivi eſt diverſum ab eſſe corporis mortui; ergo corpus Chriſti non eſt idem numero vivum & mortuum, quia eadem eſt ratio de Corpore Chiſti & cujuſcumque hominis, quatenus Corpus Chriſti eſt ejuſdem rationis cum cæteris humanis corporibus.

Reſp. 1 diſt. maj. Corpus Chriſti remanſit idem numero terminativè & ratione ſuppoſiti, con. formaliter & ratione formæ, neg. quia illud corpus non eſt idem numero ratione formæ, quod non habet eandem formam; atqui corpus Chriſti non habebat eandem formam poſt mortem, vivum enim informabatur anima rationali, mortuum verò forma cadaveris; ergo corpus Chriſti non erat idem numero ratione formæ: ſed cum unitas numerica ſumatur à ſuppoſito tanquam à termino, illud corpus eſt idem numero terminativè, quod exiſtens ſub diverſis formis, conſervat tamen idem ſuppoſitum: ſed corpus Chriſti ſucceſſivè exiſtens ſub anima rationali & ſub forma cadaveris, conſervavit idem ſuppoſitum, ſiquidem corpus Chriſti ſubſiſtebat per ſubſiſtentiam verbi; ergo corpus Chriſti eſt idem numero terminativè, quod ſufficit, inquit Caïetanus ad verificandas om-

ſacræ Scripturæ , & Patrum authori-

eſp. 2. con. ant. neg. conſ. & paritatem:
diſparitatis eſt, quia cætera corpora hu-
ı non remanent abſolutè eadem , quia
ſub diverſis formis & per diverſas exi-
ias à diverſis formis procedentes exiſtunt
: non ſunt eadem nec ratione formæ, nec
ne ſuppoſiti , cum autem corpus Chri-
iſtens ſub diverſis formis, ſubſtiterit per
em ſubſiſtentiam , eſt idem numero ra-
: ſuppoſiti.
I. atqui corpus Chriſti nullomodò fuit
numero ; ergo nulla ſolutio. prob. ſubſ.
ıus Chriſti mortuum fuit diverſum ſpe-
corpore vivo ; ergo Corpus Chriſti
uum non fuit idem numero, Antecedens
ɔoteſt negari ſecundum opinionem Tho-
rum , quia cùm diſtinctio ſpecifica pro-
ıt à formâ , illud corpus eſt diverſum
e , quod habet diverſam ſpecie formam:
:orpus Chriſti mortuum habet formam
e diverſam ab illa quam Corpus Chri-
vum habebat. prob. verò conſeq. quę
diverſa ſpecie, ſunt etiam diverſa nume-
tqui Corpus Chriſti vivum & mortuum
liverſum ſpecie ; ergo fuit diverſum nu-
ı.
eſp. neg. ſubſ. & conſ. & ad prob. diſt.
quæ ſunt diverſa ſpecie ſunt diverſa nu-
ı in cæteris corporibus humanis, con. in
ɔore Chriſti , neg. quia illa propoſitio
:ra in cæteris compoſitis humanis , ex eo
ſublatâ unitate ſpecificâ , tollitur etiam
ɔſitû à quo aliquid dicitur idem numero

terminativè, & illa propoſitio non eſt vera reſpectu Corporis Chriſti, quia in Corpore Chriſti licet tollatur unitas ſpecifica ſublatâ animâ rationali, remanet tamen numerica, quia remanet idem idem ſuppoſitum.

Obj. 3. ſi non daretur forma corporeitatis, verbum Divinum in triduo mortis aſſumpſiſſet formam cadaveris: atqui illud non poteſt dici; ergo nec aliud prob. min. ſi Verbum Divinum aſſumpſiſſet formam cadaveris, nuſquam dimiſiſſet, juxta illud axioma Theologicum, *quod ſemel aſſumpſit, nuſquam dimiſit*; ergo non poteſt dici quòd verbum in triduo mortis aſſumpſerit formam cadaveris. Præterea ſi illud verum eſſet, ſequeretur quòd verbum potuiſſet appellari cadaver: atqui illud videtur abſurdum; ergo verbum non potuit aſſumere formam cadaveris.

Reſp. neg. min. ad cujus prob. diſt. axioma Theologicum, *quod ſemel aſſumpſit* ex primariâ intentione *nuſquam dimiſit*, con. *quod ſemel aſſumpſit* ex ſecundariâ intentione, *nuſquam dimiſit* neg. quia illud axioma intelligitur ex his quæ ex primariâ intentione fuerunt aſſumpta, forma autem cadaveris fuit aſſumpta tantùm per accidens, & ex occaſione mortis. Quando verò objicitur quòd ſi verbum aſſumpſiſſet formam cadaveris, verbum potuiſſet appellari cadaver, dicendum quód ob venerationem, verbum non dicitur cadaver, licet in rigore poſſet appellari cadaver.

Obj. 4. Si in triduo mortis aliquis Apoſtolus conſecraſſet Hoſtiam, poſuiſſet ibi verum Corpus Chriſti: Atqui tunc Corpus Chriſti non

fuiſſet conſtitutum per animam rationa-
, quia tunc erat ſeparata à corpore, neque
ormam cadaveris ; ergo fuiſſet conſtitu-
per formam corporeitatis,
p.neg.min.quia Corpus Chriſti in triduo
tis fuit cõſtitutũ in eſſe corporis per formã
veritatis ad quam formam concomitan-
terminata fuiſſent verba conſecrationis,
i nunc formaliter terminantur ad corpus
)rpus eſt , & concomitanter ad animam
item. Similiter dicendum cum S. Tho.
l ſi Hoſtia conſecrata in cœnâ conſerva-
iſſet in triduo mortis , in ea fuiſſet ea-
res primò contenta , eadem , inquam,
liciter propter idem numero ſuppoſitum
/erò formaliter , quia non fuiſſet eadem
ero forma conſtitutiva corporis,ſiquidem
quit S. Thom. Idem Chriſtus qui erat in
:e , in Sacramento fuiſſet , ſi hoc Sacra-
um tempore mortis ejus ſervatum fuiſ-
conſequenter Chriſtus etiam in Sacra-
o mortuus fuiſſet.
bj. ult. corrupto vivente , quocumque
) corrumpatur,remanet ſemper idem ſpe-
)rpus ; ergo debet remanere eadem for-
uæ conſtituat tale corpus; atqui talis for-
onſtitutiva corporis non poteſt eſſe niſi
a corporeitatis ; ergo debet dari forma
)reitatis. Prob. maj. Senſibus manife-
eſt quod corpus v. g. hominis mortui eſt
em rationis cum corpore quod antea
/ivum ; habet enim eadem oſſa eandem
m , & eadem accidentia ; ergo eſt idem
s.
p. neg. maj, quia corpus mortuum, eſt

diſtinctum ſpecie à corpore vivo, quia habet diverſas formas; corpus enim vivum informatur animâ rationali, & corpus mortuum informatur formâ cadavereitatis, quæ forma cadavereitatis producitur ab elemento prædominante, tanquam à causâ principali, vel ex abundantiâ flegmatis, vel ex abundantiâ bilis; producitur verò tanquam à causâ inſtrumentali à gladio; &c. quando verò dicitur quod ſunt eadem accidentia in corpore vivo & mortuo, dicendum eſt quod non ſunt eadem numero accidentia, ſed tantùm ſimilia, quia ſunt aliquæ formæ quæ habent inter ſe connexionem, ut forma rationalis & forma cadaveris, & proinde poſtulant habere ſimilia accidentia.

ARTICULUS V.

Vtrùm in vivente dentur formæ ſubſtantiales partiales.

NOtandum eſt, quod in quolibet vivente duo ſunt partium genera: aliæ partes dicuntur homogeneæ, ſive ſimilares quæ ſunt ejuſdem rationis & conditionis, & habent eandem denominationem, quales ſunt partes carnis: aliæ ſunt partes heterogeneæ, ſive diſſimilares, quæ ſunt diverſæ rationis & conditionis, & habent diverſam denominationem, quales ſunt caro, oſſa, nervi, ſan-

is. Tota igitur difficultas procedit circà
rtes hæterogeneas, & quæritur utrùm præ-
formam ſubſtantialem quæ tribuit eſſe
cificum, illæ partes hæterogeneæ habeant
am formam ſubſtantialem quæ tribuat illis
em diverſitatem, & ratione cujus illæ par-
habeant diverſas proprietates & officia,
ut non differant tantum accidentaliter;
etiam ſubſtantialiter ratione diverſarum
marum ſubſtantialium.

Dicendum eſt in quolibet vivente non dari
mas ſubſtantiales partiales.

Prob. ratione deſumptâ ex S. Thom. q.
c. de ſpiritualibus creat. art. 4. ſi in vi-
nte eſſent plures formæ ſubſtantiales par-
es, ſequeretur quod vivens eſſet unum
gregatum per accidens: atqui illud non
eſt dici; ergo nec aliud. Prob. ſeq. maj.
duobus vel pluribus non poteſt fieri unum
ſe, niſi unum ſe habeat ad alterum, ſicut
us ad potentiam: atqui ſi in vivente da-
tur plures formæ ſubſtantiales partiales,
im non poſſet ſe habere ad alium, ſicut
as ad potentiam, ſed omnes eſſent actus;
o non facerent unum per ſe, ſed unum ag-
gatum per accidens, & proinde non poſ-
t dari formæ ſubſtantiales partiales in vi-
te.

bj. 1. Si non darentur formæ ſubſtantia-
partiales, ſequeretur quod os petri vivi,
gis diſtingueretur ab oſſe petri mortui,
m os petri à carne: atqui illud non poteſt
i; ergo nec aliud. major eſt evidens, quia
etri vivi diſtinguitur ab oſſe petri mor-
ſecundum ſpeciem ſubſtantialem, quia

habent diverſas formas ; os verò non diſtinguitur à carne ſecundum ſpeciem , quia ſecundum mentem Thomiſtarum , caro & os in eodem vivente informantur eâdem formâ : minor etiam eſt evidens ; ergo debent dari formæ ſubſtantiales partiales.

Reſp. neg. min. quia nullum eſt inconveniens quòd os Petri vivi magis diſtinguatur ab oſſe Petri mortui , quàm os à carne , quia illa magis diſtinguntur quæ differunt ſpecie , quàm illa quæ differunt tantùm numero ; ſed os Petri vivi , & os Petri mortui diſtinguntur ſpecie , quia habent formas ſpecie diſtinctas ; os verò & caro diſtinguntur tantùm numero , quia informantur eadem formâ ſpecificâ.

Obj. 2. ex S. Thom. quæſt. unic. de ſpiritualibus creaturis art. 4. *Os & caro differunt ſpecie :* Atqui non poſſunt differre ſpecie , niſi dentur formæ ſubſtantiales partiales ; ergo debent dari tales formæ.

Reſp. diſt. auth. S. Thom. os & caro differunt ſpecie accidentali , con. ſubſtantiali , neg. quia cùm caro & os habeant diverſa accidentia, ut duritiem & mollitiem , dicuntur differre ſpecie accidentali , non verò ſpecie ſubſtantiali , quia habent eandem formam ſubſtantialem.

Obj. 3. Si non darentur formæ ſubſtantiales partiales, ſequeretur quòd caro eſſet os, & os eſſet caro : atqui illud non poteſt dici: ergo nec aliud. Prob. ſeq. maj. Illud eſt caro quod habet formam carnis, & illud eſt os quod habet formam oſſis : atqui caro haberet formam oſſis , & os haberet formam carnis , ergo caro eſſet os , & os eſſet caro,

.eſp. neg. ſeq. maj. ad cujus probatio. diſt. maj. Illud eſt os quod habet for. ı oſſis ſubſtantialem & accidentalem , quod habet tantum formam ſubſtantia-, neg. quia ut caro poſſit dici os, non cit ut habeat eandem formam ſubſtantia-, ſed etiam debet habere accidentia per os conſtituitur os , & à quibus recipit n denominationem.

ɔj. 4. Ubi ſunt plurimæ generationes, ebent eſſe plures formæ productæ , quia ratio tendit ad formam , tanquam ad inum ad quem : atqui in homine dantur :s generationes ; ergo debent dari plures æ partiales. Prob. min. Ariſtot. lib. 3. rtibus animalium , ait , *Primum omnium ari cor in animali*; ergo in animali dan-ures generationes.

ſp. diſt. maj. Ubi ſunt plurimæ forma-generationes , ibi ſunt plurimæ formæ, ıbi ſunt plurimæ generationes termi-: & virtualiter tantum , ibi ſunt pluri-ormæ , neg. quia totum animal produ-per unicam generationem, quæ licet ica entitativè & formaliter , eſt tamen plex terminativè & virtualiter , quate-:rminatur ad plures partes. Cor autem ır ab Ariſt. primum omnium generari, uod producatur per generationem di-am à generatione aliarum partium , ſed ;eneratio primariò tendit ad ipſum cor , am ad partem principalem.

ɔj. 5. ex S. Thom. 1. part. quæſt. 11. ad 2: *In quolibet toto hæterogeneo , in-qualibet pars caret formâ totius*; ergo

quælibet pars habet ſuam formam particularem.

Reſp. diſt. auth, S. Thom. *quælibet pars caret formâ totius*, ſecundum denominationem, con. ſecundum rem, neg. quia ibi docet S. Thom. diſcrimen intercedens inter totum homogeneum & totum hæterogeneum, & dicit quod in toto homogeneo partes non tantùm habent formam totius ſecundum rem, ſed etiam ſecundum denominationem; ſic quælibet pars aquæ dicitur aqua: docet autem quòd in toto hæterogeneo partes habent quidem formam totius ſecundum rem, non verò ſecundum denominationem; ita caro & os in homine licet habeant eandem formam totius, ſcilicet animam, non habent tamen eandem denominationem.

Obj. ult. Diverſæ operationes, & diverſa temperamenta arguunt diverſas formas ſubſtantiales: atqui partes hæterogeneæ habent diverſas operationes & diverſa tempamenta: ergo habent diverſas formas ſubſtantiales.

Reſp. diſt. maj. Diverſæ operationes & diverſa temperamenta arguunt diverſas formas ſubſtantiales in diverſo ſuppoſito, con. in eodem ſuppoſito, neg. quia illæ diverſæ operationes arguunt tantùm unam formam, ſed perfectiorem & eminentiorem, quæ proinde pro diverſitate operationum, poſtulat diverſas potentias, diverſa temperamenta & organa, quæ omnia producit anima rationalis non ſecundum ſe & entitativè conſiderata, ſed ut eſt conjuncta corpori.

QUÆSTIO II.

De potentiis Animæ.

DE potentiarum diſtinctione, ſpecificativo, & causâ, agetur in iſtâ quæſtione.

ARTICULUS I.

trùm potentiæ animæ diſtinguantur realiter ab ipsâ ſubſtantiâ Animæ.

DIcendum eſt, potentias animæ diſtingui realiter ab ipsâ ſubſtantiâ animæ. Prob. Si potentiæ non diſtinguerentur rea- er ab animâ, non diſtinguerentur inter ſe; ıia quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem ter ſe: atqui non poteſt dici quod potentiæ n diſtinguantur inter ſe; ergo debent di- ngui realiter ab animâ: præterea acciden. ı diſtinguntur realiter à ſubſtantiâ: atqui tentiæ animæ ſunt accidentia, quia ordi- ntur ad actus accidentales: ſiquidem poten-

tiæ & actus debent eſſe in eodem genere, ut jam dictum fuit; ergo potentiæ animæ diſtinguntur realiter ab animâ. Si verò aliqui ſancti Patres videantur aſſerere animam & potentias eſſe unum & idem, loquuntur de potentiis radicaliter ſumptis, quæ cum profluant ab animâ, tanquam illius proprietates, ſunt ipſa anima, utpote radix illarum.

Obj. 1. ſi potentiæ diſtinguerentur realiter ab animâ, ſequeretur, quòd anima immediatè non eliceret intellectionem & volitionem: atqui anima debet immediatè elicere intellectionem & volitionem; ergo potentiæ animæ non diſtinguntur realiter. Prob. min. ſi anima immediatè non eliceret intellectionem & volitionem, ſequeretur, quòd ipſa anima non eſſet digna pręmio, aut pœnâ in ipſis actibus bonis, vel malis; nullus enim meretur pœnam, aut premium, niſi propter actus quos ipſe facit: atqui illud non poteſt dici; ergo nec aliud.

Reſp. neg. min. ad cujus prob. neg. ſeq. maj. quia licet anima immediatè non eliciat intellectionem, aut volitionem, non inde ſequitur quòd anima non peccet, aut benè operetur, & proinde mereatur pœnam vel premium, quia ipſa anima mediante voluntate, tanquam inſtrumento, bonum, aut malum amplectitur; ſicuti ignis dicitur verè ſubjectum aliquod calefacere licet calefactio immediatè non proveniat à ſubſtantiâ ignis, ſed à calore.

Inſt ſi anima puniretur ob peccatum commiſſum mediante voluntate, ſubſtantia animæ puniretur ob actionem quam non poſſet im-

'e ; anima enim nullum habet dominium
ı actus voluntatis : atqui abſurdum eſt
'e quod aliquis puniatur ob actionem
a non poteſt impedire ; ergo anima non
ret puniri propter peccatum commiſſum
ante voluntate.
eſp. neg. min. ob. duplicem rationem.
cuti abſurdum non eſt quòd corpus pu-
ır ob actiones voluntatis quas non poteſt
dire, ita abſurdum non eſt quòd ſub-
ia animæ puniatur ob actiones volunta-
icet illas non poſſit impedire : 2. quia
m modo punitur, vel premiatur anima
operatur; anima enim dolorem non ſen-
iſi mediantibus ſenſibus, neque Deum
r, vel amat beatificè, niſi mediante in-
ctu, vel voluntate.
j. ult. ſi potentiæ diſtinguerentur realiter
nimâ, poſſent ſaltem divinitùs ſeparari ab
nâ : atqui non poteſt dici quòd potentiæ
nt divinitùs ſeparari ab animâ, ſublato
ı intellectu, vel ſublatâ voluntate, ani-
non eſſet intellectiva, vel volitiva, quod
poteſt dici ; ergo potentiæ animæ non di-
guntur realiter ab animâ.
eſp. 1. neg. maj. quia accidentia vitalia
endent eſſentialiter à principio intrinſe-
vitali.
eſp. 2. gratis, con. maj. neg. min. & dico
d in illo caſu anima eſſet intellectiva &
tiva radicaliter tantùm.

ARTICULUS II.

Vtrùm potentiæ animæ ſpecificentur per ordinem ad ſuos actus & objecta.

DIcendum eſt potentias operativas animæ ſpecificari intrinſecè per ordinem tranſcendentalem quem dicunt ad ſuos actus & objecta; immediatè quidem ſpecificantur ab actibus, mediatè verò ab objectis.

Prob. per illud potentiæ ſpecificantur, per quod inter ſe diſtinguntur: atqui potentiæ operativæ diſtinguntur inter ſe per ordinem tranſcendentalem quem dicunt ad actus & objecta; potentia enim viſiva ideò differt eſſentialiter ab auditiva, quia reſpicit viſionem & objectum coloratum; ergo potentiæ ſpecificantur per ordinem quem dicunt ad actus & objecta; & ita actus ſunt priores potentiis in intentione & genere cauſæ finalis, ſunt verò poſteriores potentiis, quatenus ſunt effectus potentiarum.

Obj. 1 potentiæ operativæ ſunt entia abſoluta, non verò relativa, quia ſunt de ſecundâ ſpecie qualitatis; ergo non ſpecificantur per ordinem ad aliud, quia ſic eſſent entia relativa.

Reſp. diſt. ant. ſunt entia abſoluta ſimpliciter & ſecundũ rem, con. purè abſoluta, neg.

ſunt aliæ res abſolutæ & aliæ relativæ,
),v.g. equus& cæteræ ſubſtãtiæ ſunt quid
utum, quia ſunt propter ſeipſas, & non
iantur ad aliquid aliu d; potentiæ verò
bitus, & alia hujuſmodi non ſunt prop-
;ipſa, ſed eſſentialiter ordinantur ad ali-
aliud, ſcilicet ut inſerviant ſubſtantiæ.
bj. 2. ſi potentiæ ſpecificarentur per ſuos
& objecta, non diſtinguerentur ſpe-
ſuis habitibus, verbi gratia potentia in-
ctiva non diſtingueretur ab habitu ſcien-
atqui hoc eſt falſum, quia habitus ſunt
·imâ ſpecie qualitatis, potentiæ verò de
ıdâ; ergo potentiæ non ſpecificantur per
ıem ad actus & objecta. Prob. ſeq. maj.
habent idem objectum non diſtingun-
atqui habitus & potentiæ haberent idem
ctum; ergo non diſtinguerentur.
eſp. neg. ſeq. maj. ad cujus prob. diſt.
quæ habent idem objectum formale non
nguntur, con. quæ habent idem objectum
eriale, non diſtinguntur, neg. quia licet
ntiæ & habitus verſentur circa idem ob-
ım materiale, non ſequitur quòd ſint
dem ſpeciei, quia non verſantur circa
n objectum, ſub eadem formalitate; ſi-
lem potentia illud reſpicit ſub ratione
verſaliori, habitus verò ſub aliquâ ratio-
peciali, potentia, v. g. intellectiva ver-
r circa ens in tota ſuâ latitudine, phyſi-
verò quæ eſt habitus potentiæ intelle-
æ, verſatur circa ens ut eſt mobile.
)bj. 3. & ult. ſpecificativum rei debet eſſe
inſecum: atqui objectum non eſt intrin-
ım potentiis; ergo objectum non eſt ſpe-
cativum potentiarum.

Reſp. diſt. maj. ſpecificativum per modum partis componentis, debet eſſe intrinſecum, con. ſpecificativum per modum termini, neg. quia potentiæ ſpecificātur extrinſecè per objecta, intrinſecè verò per ordinem ad objecta.

ARTICULUS III.

A quo producantur potentiæ operativæ.

DIcendum eſt potentias produci ab animâ in genere cauſæ efficientis.

Prob. operationes animæ cùm ſint actus vitales debent procedere à principio vitæ, tanquam à radice, conſequenter debent in animæ poteſtate contineri; atqui ſi potentiæ non producerentur ab animâ, illarum potentiarum operationes non dicerentur contineri in virtute animæ ſicuti calafactio, non continetur in virtute aquæ calidæ, quia calor à quo calefactio provenit, non fluit à formâ aquæ; ergo potentiæ operativæ producuntur ab animâ. Quando autem dicimus quòd anima producit potentias, non intelligimus quòd anima illas producat per actionem diſtinctam ab actione generantis, ſed intelligimus quòd illas producit per eandem actionem quæ primariò terminatur ad eſſentiam animæ, ſecundariò verò ad potentias animæ.

TRACT.

TRACTATUS II.

De animâ vegetativâ.

UNicam quæſtionem complectetur iſte tractatus.

QUÆSTIO UNICA.

De animâ vegetativâ.

DE exiſtentiâ, definitione, & potentiis animæ vegetativæ agetur in iſta queſtione.

ARTICULUS I.

An detur anima vegetativa in plantis.

DIcendum eſt dari animam vegetativam in plantis diſtinctam realiter à materiâ.

Prob. 1. plantæ nutriuntur, creſcunt &

generant: ſed illæ operationes non poſſunt convenire plantis, niſi habeant animam vegetativam; ergo in plantis datur anima. prob. min. plurimis auth. 1. auth. Ariſt. ſiquidem lib. 2. de animâ cap, 4. ait *Cùm autem nihil nutriatur, quin habeat vitam, animatum id erit profectò corpus quod alitur, eâ ſanè ratione quâ eſt animatum*: 2. Auth. S. Aug. qui ſermone 27. de verbis Apoſtoli cap. 14. ait. *nobis vivere cum arboribus commune eſt, nam vitis vivit, cùm viret; moritur cùm areſcit, ſed vita iſta non habet ſenſum.*

Prob. 2. conſtat experientiâ pirum â piro, pomum à pomo enaſci mediante ſemine: illa autem non poſſunt procedere ex motu locali Carteſianorum per quem ut aiunt, partes materiæ diverſis modis diſponuntur, & ex diverſarum partium configuratione exurgunt diverſæ plantę; ergo illa omnia debent procedere à diverſis formis ſubſtantialibus. prob. min. ſi illa provenirent à motu locali Carteſianorum, illa omnia non contingerent in plantis immutabili lege,& certis temporibus: Atqui illa omnia lege immutabili & certis temporibus in plantis contingunt, ergo illa omnia non poſſunt provenire à motu locali Carteſianorum. prob. ſeq. maj. talis motus, qui ſecundum Carteſianorum mentem alius non eſt quàm qui primò partibus materiæ impreſſus eſt ab authore naturæ, infinitis modis à cauſis extrinſecis interturbatur, ut ipſe fatetur Carteſius, ergo ſi illa omnia in plantis provenirent à motu locali particularum, illa omnia lege immutabili in plantis non evenirent.

Obj. ſi operationes quæ videtur in plantis denotarent animam vegetativam, aliquæ operationes quæ videntur in plantis, denotarent animam ſenſitivam: Atqui illæ operationes non poſſunt denotare in plantis animam ſenſitivam; ergo nec aliæ operationes poſſunt denotare in plantis animam vegetativam. prob. ſeq. maj. eſt aliqua planta quæ dicitur *ſenſitiva*, & quæ habet aliqua folliola expanſa; quando autem ex illis folliolis aliquod impetitur & tangitur: mox illud ſe ſe demittit, & claudit, aliaque follida ſubinde ſe claudunt ſuo ordine; ita ut inferiora ſub ſuperioribus ſe condant: atqui ille motus quo illa planta videtur manus aut alterius rei tactum fugere, non poteſt explicari ſine animâ ſenſitivâ; ergo in quibuſdam plantis videntur aliquæ operationes quæ denotant animam ſenſitivam.

Reſp. 1. quòd Maignanus docet in illâ plantâ eſſe inchoamentũ aliquod vitæ ſenſitivæ, & in hoc quodammodo ſentit ut Empedocles & Anaxagoras qui dicebant plantas non ſolùm vivere vitâ vegetativâ, ſed etiam ſenſitivâ, & differre à brutis, quod bruta ſenſum acutũ & quaſi vigilantem habent; plantæ verò obtuſum & quaſi dormientem. Magis etiam aberrarunt Manichæi Hæretici qui dicebant in plantis non tantùm eſſe animam ſenſitivam, ſed etiam animam rationalem, ita ut homicidium dicerent ab arbore. Folliam, fructumve colligere. In illos Hæreticos egit D. Auguſt. his verbis; *non eſt audienda, neſcio quæ impietas, ruſticana planè, magiſque lignea quàm ſint ipſæ arbores quibus patrocinium præbet, quæ credit dolere vitem, quando uva*

excerpitur; Falſum ergo quòd plantæ habeant animam rationalem; falſum etiam quod habeant vitam ſenſitivam, in plantis enim nullus ſenſus, nulla doloris ſignificatio apparet dum punguntur aut ſcinduntur.

Reſp. 2. neg. maj. & min. quia ille motus poteſt explicari ſine animâ ſenſitivâ tribus iſtis modis. 1. Illius plantæ folliola ad contactum manus ſe ſe condunt & ſe ſe demittunt propter aliquam qualitatem antipaticam, ratione cujus illa planta videtur refugere contactum cujuſlibet rei, 2. Movetur illa planta, ex eo quòd illius plantæ nervuli delicatiſſimi malè afficiuntur à quibuſdam halitibus quos exſudat manus; ita ut cùm illa planta illos halitus imbibit, emoritur ferè quaſi exhauſto veneno, nec iterum poteſt erigi donec flante vento, & intus virtute nativâ reluctante expelluntur illi halitus qui illam plantam, & vicinum aërem infecerant. Quòd autem hujuſmodi halitus tenerioribus plantis noceant, cognoſcunt qui florum culturâ delectantur, ideò flores nobiliſſimos, nè ſummo quidem digito audent attingere; 3. poteſt dici quòd illa planta movetur, quia cum illi halitus ingrediuntur intra poros illius plantæ, nervuli & folliola intumeſcunt ex illâ parte, non verò ex aliâ, & ita illi nervuli intumeſcentes incurvantur.

ARTICULUS II.

De definitione, & potentiis animæ vegetativæ.

DIcendum eſt 1. animam vegetativam definiri actum corporis organici potentia vitam vegetativam habentis, ſive principium primum & radicale operationum vegetantium.

Prob. & expl. per primas particulas convenit cum cæteris animabus, cùm omnis anima ſit actus corporis organici; per ultimas verò particulas differt ab illis, quatenus enim eſt principium operationum vegetantium, ſcilicet nutritionis, accreſſionis & generationis, differt ab alijs animabus.

Dicendum eſt 2. & ult. animam vegetativam habere tres potentias principales, ſcilicet potentiam nutritivam, accreſſivam & generativam.

Prob. ratione deſumptâ ex S. Tho. 1. part. quæſt. 78. art. 2. *Anima vegetativa habet tres operationes ſpecie diſtinctas*; ergo habet tres potentias operativas. Prob. ant. actus ſpecificantur per ordinem ad objecta & fines: atqui ſunt tria objecta & tres diverſi fines; ſiquidem accreſſio tendit ad acquiſitionem debitæ quantitatis, ad melius eſſe individui; nutritio tendit ad acquiſitionem partialis ſubſtantiæ

ad conſervationem proprii individui : generatio denique tendit ad conſervationem ſpeciei in alio individuo; ergo dantur tres operationes ſpecie diſtinctæ & proinde tres potentiæ operativæ.

ARTICVLUS III.

De potentiâ nutritivâ, ejuſque objecto.

NOtandum eſt quod potentia nutritiva definitur facultas animæ vegetativæ quæ tranſmutat ſubſtantiam alimenti in ſubſtantiam viventis ad conſervationem proprii individui.

Dicendum eſt 1. potentiam nutritiam habere pro objecto remoto ſubſtantiam mixtam & proportionatam.

Prob. & expl. con. 1. objectum remotum nutritionis eſt ſubſtantia , quia fit nutritio , ut partes ſubſtantiales deperditæ reparentur; ergo ſubſtantia debet eſſe objectum nutritionis; & ita non eſt verum quod dicit Plinius , quòd ſcilicet quidam ſolo florum & pomorum odore nutriebantur , ſed dicendum quòd illi homines , utpote habentes temperamentum debile , poterant nutriri vaporibus ſubſtantialibus qui magnâ cum copiâ è pomis & floribus emanabant : 2. Illa ſubſtantia debet eſſe mixta, quia alimentum debet ſuſcipere qualitates viventis , priuſ-

quam in ejus ſubſtantiam convertatur: atqui elementum purum non poteſt ſuſcipere qualitates viventis, quia cùm ſint in ſummo gradu in elementis, & in mixtis temperato gradu, ſequeretur quòd debilius ageret in fortius; ergo elementum non poteſt eſſe objectum nutritionis; & ita falſum eſt quòd Cameleon nutriatur puro aëre, ſed nutritur corpuſculis ſubſtantialibus & muſcis quas linguæ motu trahit. 3. Subſtantia non ſolùm debet eſſe mixta, ſed etiam proportionata, quia ſi alimentum eſſet viventi omninò diſſimile, illud natura rejiceret, neque illius contrarias qualitates vinceret: ſi verò hiſtoria doceat quòd aliqui nutriebantur veneno, dicendum quòd tunc illa ſubſtantia erat proportionata per accidens, quatenus paulatim ſumpta ſuas qualitates imprimit viventi.

Dicendum eſt 2. ſanguinem eſſe objectum proximum nutritionis.

Prob. vita maximè conſiſtit in humido & calido; ergo cùm alimentum inſtitutum ſit ad vitam conſervandam, debet eſſe humidum & calidum: atqui ſanguis eſt ſubſtantia hujuſmodi qualitatibus præcipuè affecta; ergo ſanguis eſt objectum proximum nutritionis.

Dicendum eſt ult. quatuor præcipuè facultates aſſignari potentiæ nutritivæ famulas & adminiſtras, illæ autem ſunt attractrix, retentrix, concoctrix, & expultrix.

Prob. & expl. concl. potentia attactrix eſt facultas quæ mediantibus radicibus alimentum in viventis ſubſtantiam convertendum trahit, patet quòd datur illa virtus, v. g. in arboribus, quomodo enim ſuccus qui

nutrit verticem altiſſimæ arboris, poteſt aſcendere, non quidem propria virtute, quia cùm ſit gravis, potius deorſum moveri poſtulat, debet ergo trahi ab aliquâ virtute attractiva: potentia retentrix eſt illa quæ alimentum attractum retinet, ne ante coctionem propter gravitatem dilabatur: concoctrix eſt illa quæ alimentum diſponit, ut fiat nutritio; expultrix denique eſt illa cujus miniſterio ſuperflua ejiciuntur.

ARTICULUS IV.

Vtrùm in ſolis viventibus fiat vera & propria nutritio.

NOtandum eſt quod duplex eſt nutritio, una propria, altera verò impropria: nutritio propria eſt illa quæ fit per intuſſuſceptionem in ipſo ſuppoſito alito, quatenus in ſe recipit alimentum quod per actionem nutritivã diſponit & in propriam ſubſtantiam convertit, ita ut informetur eâdem formâ; & ideò nutritio propriè dicta definitur converſio, ſive nutritio alimenti non viventis in ſubſtantiam aliti, ſive corporis viventis: nutritio improriè dicta eſt illa quæ fit per juxta poſitionem, ſive per additionem alterius ſubſtantiæ partialis, illo modo lapides & plurima alia nutriuntur.

Dicendum eſt dari ſolùm veram nutritionem in viventibus, non vero in non viventibus.

Prob. illud propria & verâ nutritione dicitur nutriri quod per virtutem naturalem conſumit aliquid de propriâ ſubſtantiâ, & illud reſtaurat per converſionem ſubſtantiæ extraneæ in propriam ſubſtãtiam: atqui illud non fit in non viventibus, quia cùm non habeant potentiam nutritivam; ergo in ſolis viventibus datur vera & propria nutritio.

ARTICULUS V.

Vtrùm omnes corporis partes nutriantur eodem modo.

NOtandum eſt quòd priuſquam nutritio alimentum in ſubſtantiam aliti convertat, illud alimentum plurimis actionibus, hoc eſt alterationibus & decoctionibus præparandum eſt; ita docent inſigniores medici quòd alimentum. 1. Mediante ſalivâ conteritur: 2. Per fauces in ventriculum ſive ſtomachum deducitur, & ibi beneficio caloris naturalis tranſmutatur in maſſam aliquam, ſcilicet chylum, maſſa illa poſtea effluit in inteſtina quæ illam magis alterant, & illi perfectum primæ decoctionis & chyli complementum tribuunt. Prima ergo coctio incipit in ore, promovetur maximè in ventriculo, & deſinit in inteſtinis: deinde ſuccus ille defertur ad jecur, vel ad cor, ut volunt alii, ut ibi per majorem calorem magis decoquatur, & tranſmutetur in ſanguinem,

coleram ſive bilem, melancholiam & flechma; ſanguis enim præparatur in meſaraïcis, elaboratur in jecore, abſoluitur in venâ cavâ, & ex jecore defertur bilis ad folliculum fellis, ad ſplenem melancholia, flechma verò miſcetur cum ſanguine, & per totum corpus diſtribuitur per venas tenuiſſimas, quæ propter tenuitatem appellantur capillares, deinde ex illis tenuiſſimis venis decidit, & ſubit poros, & ibi quatuor mutationes recipit, ſiquidem albeſcit, fitque perſpicuus, inſtar roris; deinde fit tenax & viſcoſus, & dicitur gluten; poſtea concreſcit, ſive ſolidatur, atque ita decoctionem perfectam conſequitur, & tandem abjecta propria formâ, formam viventis ſuſcipit, & in hac ſuſceptione & converſione conſiſtit formaliter nutritio: purior autem ſanguis ex hepate in cor transfunditur, ubi naturali cordis calore iterum concoquitur, & tranſmutatur in ſubſtantiam ſubtiliorem, quæ virtute quadam vitali recepta à fonte vitæ, ſpiritus vitales dicuntur; ex illis ſpiritibus alii diffunduntur per omnes partes & poros corporis, ut juvare poſſint potentias ad ſuas operationes exercendas; alii recipiuntur in cerebro, & ibi per virtutem cerebri recipientes benigniorem naturam, fiunt aptiores ad ſenſationes animalis eliciendas, unde dicuntur ſpiritus animales.

Dicendum eſt omnes animalis partes cum proportione nutriri.

Prob. ibi fit vera & formalis nutritio, ubi reperitur alimentum proximum, & ubi datur principale inſtrumentum potentiæ nutritivæ,

& ubi etiam dantur ſpiritus vitales & animales requiſiti ad exercendas operationes vitales & animales : atqui alimentum proximum, ſcilicet ſanguis diffunditur per omnes partes corporis; diſtribuuntur etiam ſpiritus vitales & animales, & in ſingulis partibus reperitur principale inſtrumentum potentiæ nutritivæ, ſcilicet calor naturalis; ergo in ſingulis partibus corporis reperitur nutritio propriè dicta, cum aliquâ tamen proportione.

ARTICULUS VI.

Vtrùm nutritio fiat toto vitæ tempore.

DIcendum eſt, nutritionem fieri toto vitæ tempore.

Prob. Ideò nutritio fit ut humidum radicale quod per calorem naturalem conſumitur, reparetur; ergo toto vitæ tempore debet durare nutritio, cum toto vitæ tempore humidum radicale conſumatur per calorem naturalem. Humidum autem radicale, juxta quorundam Medicorum ſententiam, nihil aliud eſt quàm humor quidam quo repletur membrana quædam quæ cor involvit; vel juxta aliorum Medicorum ſententiam, humidum radicale conſiſtit in partibus mollioribus ſubſtantiæ : unde ut ſemper humidum radicale reparetur, natura provida dedit animalibus

famem quæ calidum appetit, cùm ſit appetitus naturalis calidi & ſicci; dedit etiam ſitim quæ nihil aliud eſt quam appetitus humidi & frigidi: fames autem naſcitur ex corroſione & dolore ventriculi carentis omni alimento: Sitis verò provenit ex inflammatione orificij ventriculi, & gutturis.

ARTICULUS ULT.

De accreſſione.

NOtandum eſt quòd potentia accreſſiva definitur facultas, ſive virtus interna animæ vegetativæ, quæ intùs ſuſcepta, digeſtoque alimento, novam eidem viventi quantitatem adjungit.

Dicendum eſt 1. Accreſſionem definiri motum à minori ad majorem quantitatem.

Prob. & expl. Accreſſio poteſt ſumi dupliciter 1. laté & impropriè pro acquiſitione quantitatis, ſive ſit major, ſive ſit minor, ſive ſit æqualis illi quæ vi & actione caloris naturalis deperditur, & tunc accreſſio poteſt definiri motus ad quantitatem partialem. 2. Accreſſio ſumitur ſtrictè & propriè pro acquiſitione quantitatis partialis majoris illâ quæ conſumitur calore naturali; ergo accreſſio propriè & formaliter eſt motus à minori ad majorem quantitatem: accreſſio autem diſtinguitur realiter à nutritione; quia habent terminos primarios diſtinctos realiter;

nutritio

nutritio enim primariò terminatur ad ſubſtantiam partialem, accreſſio verò terminatur primariò ad majorem quantitatem, & licet totalis quantitas producatur, quando primò producitur totalis ſubſtantia, non tamen per eandem actionem acquiritur partialis ſubſtantia & partialis quantitas, quia non eſt eadem ratio de utraque; in primâ enim rerum productione, primariò producitur totalis ſubſtantia, ſecundariò verò totalis quantitas, & alia accidentia quæ ſubſtantiæ debentur naturaliter tanquam proprietates, & ita producuntur per eandem actionem: quando autem res illa nutritur, non ſolùm primariò intenditur partialis ſubſtantia ut conſervetur individuum, ſed etiam primariò intenditur partialis quantitas, quia natura per ſe intendit primariò producere vivens ad debitam molem corpoream, conſequenter illi termini diverſi poſtulant actiones diſtinctas realiter: ſi verò Ariſt. dicat, quòd accreſſio & nutritio ſunt idem, illud eſt intelligendum ex parte materiæ, quatenus accreſſio & nutritio verſantur circà eandem materiam, nam ex eodem alimento augetur & nutritur aliquis.

Dicendum eſt 2. & ult. accreſſionem propriè ſumptam non fieri toto vitæ tempore.

Prob. ex continuâ reactione alimenti in calorem naturalem, calor ille maximè debilitatur; ergo non poteſt tantum ex alimento convertere quantum deperditur: atqui accreſſio propriè & formaliter ſumpta conſiſtit in hoc quod plus acquiratur de quantitate, quàm deperditur calore naturali; ergo accreſ-

ſio non fit toto vitæ tempore. Verum quidem eſt quod homines adulti & etiam ſenes aliquando pingueſcunt & dilatantur, non tamen dicuntur creſcere accreſſione propriè ſumptâ; tunc enim animal dicitur tantùm creſcere, quando augetur ſecundum longitudinem.

TRACTATUS III.

De animâ ſenſitivâ.

OCTO quæſtiones complectetur iſte tractatus. In primâ agetur de anima ſenſitivâ in communi: In ſecundâ agetur de potentiis externis animæ ſenſitivæ: In quinque aliis ſubſequentibus agetur de quâlibet potentiâ externâ in particulari: In octavâ & ultimâ de potentiis internis animæ ſenſitivæ.

QUÆSTIO I.

De animâ ſenſitivâ in communi.

IBI agetur de eſſentiâ & exiſtentiâ animæ ſenſitivæ.

ARTICULUS I.

Vtrùm detur anima ſenſitiva in brutis.

CONTRA CARTESIANOS.

NOtandum eſt, quòd circà iſtam difficultatem, in tres veluti partes diſtrahuntur Philoſophi. Qui Carteſium ſequuntur, omnem omninò cognitionem, imò & ſenſum beſtiis adimunt; ita ut ſint tantùm machinæ & pura automata: alii non ſolùm cognitionem, ſed & rationem quandam beſtiis tribuere videntur: nos verò mediam opinionem inter illas duas extremas ſequimur.

Dicendum eſt, bruta habere animam ſenſitivam, & non eſſe pura automata, ut volunt Carteſiani.

Prob. 1. Illa doctrina eſt rejicienda quæ ſacræ Scripturæ, & SS. PP. Doctrinæ repugnat: atqui Doctrina Carteſij docentis animalia eſſe purè automata, repugnat Scripturæ ſacræ, & SS. PP. Doctrinæ; ergo illa ſententia eſt rejicienda. prob. min. quoad 1. partem cap. 1. Genezeos, *Dixit quoque Deus; producat terra animam viventem in genere ſuo jumenta reptilia & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas, factumq; eſt ita*, prob. eadem min. quoad 2. part. S. Auguſt. tom. 8. in pſal. 29. in enarrationem 2. *Anima humana*, inquit, *habet aliquid quod non habent animæ pecorum, nam & pecora habent animam, & animalia vocantur, non enim animalia, niſi ab animâ, & videmus quod & ipſa vivunt.*

Prob. 2 ratione: ubi eſt potentia cognoſcitiva; ibi eſt anima ſenſitiva: ſed in brutis eſt potentia cognoſcitiva, ergo eſt anima ſenſitiva. prob. min. ubi eſt potentia memorativa & potentia appetitiva, ibi eſt potentia cognoſcitiva, quia illæ duæ præſupponunt neceſſariò aliam, non enim recordamur rei incognitæ; nec rem etiam incognitàm appetimus: ſed in brutis eſt potentia memorativa & potentia appetitiva; ergo eſt etiam potentia cognoſcitiva. Prob. min. quoad omnes partes. 1. Quantùm ad potentiam memorativam. Conſtat experientiâ quòd canes poſt longum tranſacti temporis intervallum, herum ſuum agnoſcunt, oves & boves adventante nocte in conſueta loca ſe ſe recipiunt,

nullo etiam ducente, irundines autumnali tempore in remotiſſima loca migrant, & redeunte vere redeunt in eaſdem domos; equi ſæpiſſimè amiſſis ſociis, & longè ab eorum viſu, olfactu & auditu remoti hinniunt, canes denique ſemel percuſſi fuſte, ad ipſius etiam fuſtis umbram fugiunt: atqui illa omnia non poſſunt explicari niſi per potentiam memorativam præteritorum; ergo in brutis datur potentia memorativa. Major non poteſt negari; nec à Carteſianis dici poteſt ad minorem, quod illa omnia explicantur per particulas emiſſas ab objectis, quæ per organa ſenſuum intromiſſa illas machinas & automata concutiunt & movent, illa, inquam ratio non valet, ſiquidem objecta in prædictis caſibus tanto intervallo remota, nullam poſſunt facere impreſſionem, vel ſi efficiant, cognitionem rerum tranſactarum inferunt; ergo ratio allata à Carteſianis nulla eſt. probatur. quis crederet particulas emiſſas ab hirũdinum nidis in Galliâ exiſtentibus, poſſe hirundines Conſtantinopoli commorantes commovere? quis etiam non videt quòd canis ſemel fuſte percuſſus ad fuſtis conſpectum fugit, quia ſpecies à fuſte emiſſæ præteritæ percuſſionis memoriam refricant; ergo particulæ ab objectis emiſſæ non poſſunt movere bruta, vel ſi moverent, hoc proveniret ex eo quod præteritorum memoriam refricarent.

2. Quantum ad potentiam appetitivam, conſtat experientiâ quod oves, equi, & alia ejus generis animalia à ſtabulis emiſſa citatiſſimo curſu ad paſcua vel aquam prorumpunt. patet experientiâ quod in equo major eſt propen-

ſio ad avenam, quàm ad fœnum; atqui illa omnia non poſſunt explicari, niſi in brutis ſit potentia appetitiva; ergo in brutis eſt talis potentia. Forte dicent Carteſiani quòd illa omnia proveniunt ex impreſſione corpuſculorum: ſed contra, ſi illa provenirent ab illis corpuſculis, ſequerentur plurima quæ non ſunt vera. 1. omnes herbæ indifferenter producerent talem motum; ſiquidem omnes herbæ emittunt corpuſcula: atqui falſum eſt quod omnes herbæ producant talem motum; ut patet experientiâ; ergo tales motus non proveniunt ab illis particulis: 2. Abſente pabulo excitatur talis motus, ita ut cogente fame beſtiæ moræ impatientes ſolvunt vincula; ergo talis motus non poteſt provenire à corpuſculis; 3. Si talis appetitio proveniret à corpuſculis, ſequeretur, quòd nec totius Oceani unda poſſet unius equi ſitim extinguere, nec omnia univerſi paſcua poſſent unius bovis famem explere: atqui illa omnia non poſſuut dici; ergo talis appetitio non poteſt provenire à corpuſculis. prob. ſeq. maj. ſemper in equo eſſet appetitio aquæ, & in bove ſemper eſſet herbarum appetitio, quia ſemper corpuſcula cauſantia talem appetitum, provenirent ab aquâ & herbis, & ita equi & bovis organa commoverent; ergo totius Oceani undq non poſſet unius equi ſitim extinguere, & univerſa mundi paſcua non poſſent unius bovis famem explere.

Obj. 1. ex Ariſt. lib. de generat. animalium cap. 1. qui docet animalia eſſe automata; ergo in brutis non datur anima ſenſitiva.

Reſp. diſt. auth. Ariſt. animalia ſunt au-

tomata, hoc eſt in animalibus ſunt diverſa motuum organa, con. ſunt automata, hoc eſt nihil eſt in animalibus, quàm ipſa partium diſpoſitio, neg. quia Peripatetici admittunt quidem automata, hoc eſt diverſa organa in ipſis animalibus exiſtentia quibus illorum animalium anima utitur ad producendos illos omnes motus qui videntur in brutis. Falſum eſt ergo quod ſolent dicere Carteſiani quòd pulſus arteriarum in animalibus non ſit magis argumentum vitę, quàm pulſus horologij portatilis, quod induſtria quâ apes ſuum mel conficiunt, non magis arguit cognitionem in apibus quàm regularitas acus quæ rectè horas indicat: quod canis gravi ictu percuſſus cum miſerandos clamores edit, non magis arguit dolorem, quàm clangor tubæ; & quando canis herum ſuum adeò ſollicitè quærit & inventum tantâ cum hilaritate excipit, non magis ſollicitudinem aut gaudium concipit quàm acus magnete inuncta quæ videtur anxia, donec ſuum polum invenerit.

Obj. 2. Deus poſſet tantâ induſtriâ machinam conficere, ut ſimilis eſſet vero animali, & quantùm ad internas & externas partes: illa autem machina divinâ induſtriâ confecta omnes animalis actiones imitaretur; ſi verò potuit Deus; ergo fecit, quia Deus & natura nihil faciunt fruſtra, & ſic innumera & ſuperflua animarum multitudo vitaretur; ergo in brutis non datur anima ſenſitiva.

Reſp. 1. neg. quod Deus poſſit conficere machinam quæ eliciat operationes belluarum, quia audire, videre, & ſentire ſunt operationes vitales quæ exigunt oriri ex

pricipio intrinſeco vitali; & ita ſi ſupponamus quòd bruta ſentiunt & quod cognoſcunt, debemus etiam ſupponere quòd vivunt, ideò debemus dicere, quin ullam divinæ potentiæ injuriam faciamus, quod Deus non poteſt conficere machinam quæ hominum operationes eliciat, quia nulla eſt figura, nulla partium diſpoſitio quæ poſſit pruducere cognitiones & ſenſationes, quamvis ij motus. Si conſiderentur ut motus ſimpliciter, non eſt negandum quòd Deus non poſſit conficere machinam quæ eliciat tales motus.

Reſp. 2. quòd licet Deus illud potuerit efficere, non tamen eſt dicendum quòd illud effecerit, quia licet poſſit machinam conſtruere quæ omnes hominum motus eliceret, nullus tamen dixerit, hoc ita factum fuiſſe, quia à potentia ad actum non valet iſta conſequentia, quia plurima ſunt quæ Deus poteſt efficere, quæ tamen impoſſibilia dicimus per reſpectum ad divinam ſapientiam & providentiam Dei? an non verum eſt quòd Deus poteſt efficere, ut unus Angelus aſſumat corpus humanum & eliciat omnes operationes ſimiles illis quæ eliciuntur ab hominibus, tamen non poteſt dici quod Deus illud effecerit, alioquin poſſemus credere quòd illi homines quorum ſocietate utimur, ſunt Angeli.

Inſt. atqui ſi potuit Deus efficere, fecit; ergo nulla ſolutio prob. ſubſ. Deus non facit per plura quod poteſt facere per pauciora; ergo cum Deus potuerit efficere ut omnes operationes quæ videntur in animalibus, provenirent à ſola partium diſpoſitione, ſecluſâ

omni animâ, illud ita fecit, & proinde non datur in brutis anima. Hoc argumentum deſumptum fuit ex authore anonymo cujus liber Gallicè inſcribitur, *de l'ame des beſtes* chap. *9*.

Reſp. neg. ſubſ. ad cujus prob. diſt. maj. Deus non facit per plura, quod poteſt facere per pauciora, quando illud conveniens judicat, conc. quando illud conveniens non judicat, neg. quia Deus poterat per triginta, vel quadraginta ſtellas facere, quidquid fecit per illas infinitas ſtellas quibus cœlos eſſe adornatos voluit, quia poterat his triginta, vel quadraginta ſtellis tribuere virtutem faciendi, quidquid faciunt illæ infinitæ ſtellæ, & tamen non illud fecit, quia illud conveniens non judicavit? cur autem conveniens no judicaverit, dicendum cum Aug. *penes ipſum eſt*. Poſſunt afferri plurima alia exempla quæ idem probant.

Inſt. iterum; atqui Deus de facto voluit ut bruta carerent animâ cognoſcente; ergo &c. prob. ſubſ. illud Deus voluit quod magis poterat manifeſtare ſuam gloriam: atqui bruta carentia animâ cognoſcente, magis gloriam Dei manifeſtaſſent; ergo Deus de facto voluit, ut bruta carerent animâ cognoſcente, prob. min. illa opera magis manifeſtant gloriam & potentiam Dei, in quibus major opificis induſtria apparet, & major micat potentia: atqui in brutis animâ cognoſcente carentibus major Dei opificis induſtria appareret, & major elucerer potentia, quam in brutis animâ cognoſcente præditis; ergo bruta animâ cognoſcente carentia magis mani-

feſtarent gloriam & ſapientiam Dei. Prob. min. ille opifex ſapientior, induſtrius magis, & potentior haberetur, qui conſtrueret animal quod per ſolam partium diſpoſitionem abſque ulla cognitione, diverſas operationes produceret, & diverſis motibus, modo ad ſibi neceſſaria accederet, modo à nocivis rececederet, quam qui conſtrueret animal quod per aliquam cognitionem prædictas operationes eliceret. Sicuti ſapientior & induſtrius magis ab omnibus haberetur qui conſtrueret navim quæ ſine ullo nautæ auxilio & directione ad quamcumque partem ſe converteret, ut ventis opportune ſe daret, & quæ vela complicaret & demitteret, ubi neceſſitas illud exigeret, & quæ denique ſcopulos, rupeſque ingentiſſimas vitaret: ille, inquam, artifex ſapientior haberetur, quàm qui conſtrueret navim quæ nautæ directione ſemper indigeret; ergo in brutis animâ cognoſcente carentibus major Dei opificis induſtria apparet. Illud argumentum proponit idem auctor anonymus loco jam citato.

Reſp. 1. neg. ſubſ. ad cujus prob. neg. maj. quia falſum eſt quòd Deus velit illud quod poteſt magis ſuam gloriam manifeſtare, ſiquidem plures & perfectiores mundi quos poterat producere, majorem in Deo potentiam manifeſtaſſent, & tamen Deus non illos plures & perfectiores mundos conſtruxit.

Reſp. 2. neg. min. quia falſum eſt quod bruta animâ cognoſcente carentia majorem in Deo potentiam & induſtriam arguerent. Quò enim perfectius eſt opus, eò majorem potentiam & induſtriam in opifice denotat:

atqui bruta anima cognoſcente adornata, ſunt perfectiora, quam ſi eâ carerent; ergo bruta animâ cognoſcente adornata majorem in Deo potentiam & induſtriam denotant.

Reſp. 3. ad paritatem deſumptam ex navi; & dico quod ſi navis nullius nautæ auxilio indigens majorem in opifice induſtriam denotaret; ergo Deus deberet quibuſdam hominibus communicare induſtriam ad prædictam navim conſtruendam, quia quò perfectiores ſunt in mundo artifices, eò magis elucet Dei gloria, cum omnis artificum induſtria à Deo procedat & in Deum refundatur; ergo cum, juxta illum Philoſophum, Deus debeat efficere illud quod magis ſuam gloriam manifeſtat, deberet efficere, ut in mundo eſſent artifices qui ſufficientem induſtriam haberent ad prædictam navim conſtruendam.

Obj. 3. in brutis non poteſt eſſe dolor; ergo non poteſt eſſe anima cognocens, prob. ant. ubi eſt dolor, ibi debuit eſſe peccatum, vel debet poſſe ſperari æterna felicitas quæ hos labores terminet: atqui in brutis non fuit peccatum, nec ab illis poteſt ſperari felicitas æterna; ergo in brutis non poteſt eſſe dolor, prob. maj. quoad primam partem: juxtâ principia S. Aug. Deus non poteſt creare hominem, nec aliquam creaturam cognitione præditam, plurimis obnoxiam doloribus, niſi in pœnam alicujus criminis præcedentis, quia omnis dolor à peccato ducit originem & quia *nemo*, inquit Auguſt. plurimis in locis, *poteſt eſſe miſer, niſi mereatur*; ergo ubi eſt dolor, ibi debuit eſſe peccatum, prob.

eadem major quoad ſecundam partem:creatura quæ eſt capax doloris, debet eſſe capax alicujus felicitatis naturalis quę hos labores terminet, alioquin certè dura eſſet hujus creaturæ conditio; ergo ubi eſt dolor, debet poſſe ſperari felicitas. Hoc argumentum proponit idem auctor jam citatus cap. 10.

Reſp. neg. ant. ad cujus prob. diſt. maj. ubi eſt dolor, ibi debuit eſſe peccatum, & debet poſſe ſeparari felicitas quædam, ſi illud intelligatur de creaturâ intellectuali con. ſi illud intelligatur de creatura ſenſitiva quæ non eſt capax, neque peccati, neque felicitatis neg. quia verũ quidem eſt quod ſi homo non peccaſſet, non fuiſſet dolori obnoxius, ut ait S. Th. 1. p. q. 97. art. 2. *Quod homo in ſtatu innocentiæ fuit impaſſibilis ſecundum paſſiones, quæ removent hominem à naturali diſpoſitione.* Proinde omnia in argumento dicta debent intelligi de hominibus, non verò de brutis, in quibus licet non poſſit eſſe peccatum, poteſt eſſe dolor. Illudque probari poteſt ex fine propter quem à Deo fuerunt cõdita, ſcilicet propter hominem, & ille finis exigit ut bruta ſint doloribus obnoxia, quia ſine doloribus non poſſunt ſtatutum à Deo finem obtinere. Hanc reſponſionem docet auct. Phil. veteris & novæ 3. parte phyſ. tract. 1. diſt. 1. cap. 2. ait enim *beſtias miſeras eſſe oportuiſſe, quia in gratiam hominis conditæ ſunt, ac ſæpe puniri debent, ut cum canis herum momordit.*

Obj. 4. Ideo datur anima cognoſcens in brutis, quia animalium motus & operationes non poſſunt fieri ſine tali animâ: atqui tales opera-

operationes poſſunt fieri ſine animâ ; ergo non datur anima cognoſcens, in brutis. Prob. min. ſine cognitione multi motus naturales fiunt ab hominibus ; ſiquidem ſine cognitione acceptas eſcas concoquimus, in ſomno ſpiritum ducimus, legimus, ſcribimus, cytharâ pulſamus ; ergo in brutis poſſunt fieri operationes ſine cognitione.

Reſp. neg. min. ad cujus prob. diſt. ant. multi motus fiunt in hominibus ſine cognitione intellectuali, con. ſine cognitione ſenſibili, neg. quia duplex eſt cognitio, ſcilicet cognitio intellectualis & cognitio ſenſibilis. Cognitio intellectualis eſt illa quæ eſſentialiter importat aliquam reflexionis ſpeciem ; ita ut cognoſcens reflectat ſupra ſe, & cognoſcat ſe cognoſcere ; cognitio ſenſibilis eſt ſimplex objecti perceptio ſine reflexione : utraque illa cognitio reperitur in hominibus, v. g. quando quis ex cognitione creaturarum ducitur ad cognitionem Dei, ita cognoſcit exiſtentiam Dei, ut cognoſcat ſe cognoſcere : Similiter quando aliquis videt aliquod objectum, & cognoſcit ſe videre. Utraque illa cognitio eſt intellectualis. Eſt etiam in homine cognitio ſenſibilis, v. g. quando quis circa aliquod objectum attentam adeò habet animam, ut nihil aliud cogitet, ita ut alia objecta occurrentia videat ſine reflexione, & ita ſi amicus v. g. tranſeat, tranſeuntem non percipit, non tamen poteſt negari quin ipſum amicum tranſeuntem non viderit, alioquin cæcus eſſet ; ille enim cæcus eſt qui apertis oculis non videt objectum in debitâ diſtantiâ poſitum, & ita videt quidem tranſeuntem amicum, ſed

non cum attentione & reflexione, hoc eſt non percipit ſe videre, & ita illa cognitio dicitur ſenſibilis quæ reperitur in brutis ſine cognitione intellectuali. Quòd autem bruta cognoſcant cognitione ſenſibili, patet ex eo quod natura ipſis fruſtra diverſa ſenſuum organa non dederit? 3. an non abſurdum eſt dicere quòd ipſis natura dederit oculos qui non videant, & aures quæ non audiant.

Inſt. atqui non dantur illæ cognitiones ſenſibiles, quia omnes cognitiones ſunt intellectuales; ergo &c. prob. ſubſ. omnes fiunt cum reflexione; ſiquidem quilibet cognoſcens, cognoſcit ſe cognoſcere, quia omnis cognitio ſui præſentiâ animam afficit, cum video v. g. mea viſio ſui ſenſum efficit, eamque adeſſe animus admonetur; ergo omnes cognitiones ſunt intellectuales.

Reſp. neg. ſubſ. ad cujus prob. dico cum authore Phil. veteris & novæ 3. phyſ. parte cap. 5. *Quot illi qui aiunt perceptionem omnem ab anima percipi, & ſui præſentiâ quodammodo ſui ſenſum efficere, perceptionem ipſam cum objecto percepto confundunt, cui nomen perceptionis, quatenus cognoſcitur, ſæpè tribui ſolet. Sic itaque perceptio omnis ab anima percipitur, eo ipſo quod præſens ſit; ſed reflexam perceptionem hoc loco accipimus pro mentis operatione priori ſuperaddita, quæ ſe cognoſcere animadvertit, hæcque in beſtijs non occurrit.*

Inſt. iterum: atqui non poteſt dari cognitio ſenſibilis; ergo nulla ſolutio. prob. ſubſ. illa cognitio ſenſibilis (ſi daretur) eſſet corporea & materialis, & proinde extenſa, quia quod eſt corporeum, eſt extenſum: atqui cog-

itio non poteſt dici extenſa, quia haberet
iguram, tamen cognitio, nec eſt quadrata,
ec rotunda, uti nec longa vel lata poteſt con-
ipi; ergo, &c.

Reſp. neg. ſubſ. ad cujus prob. diſt. illam
ropoſitionem, quod eſt corporeum ſive quod
t ſubſtantia corporea, eſt extenſum conc.
od eſt corporeum ſive quod eſt modus ſub-
ntiæ corporeæ, eſt extenſum neg. quia ex-
nſio non poteſt convenire niſi ſubſtantiæ
rporeæ, non verò cognitioni quæ eſt tan-
n modus ſubſtantiæ lato modo ſumptus,
ia omnia accidentia poſſunt dici modi.

Obj. 5. Ideò bruta habent animam ſenſi-
am, quia vident, audiunt & eliciunt alias
ſationes, quales nos elicimus; ex illis
m operationibus inferimus animam ſen-
'am eſſe in brutis: atqui falſum eſt quòd
ta videant, audiant & eliciant alias ſen-
nes quales nos elicimus; ergo falſum eſt
d in brutis ſit anima ſenſitiva. Prob. min.
inferimus bruta audire, videre & elice-
ias ſenſationes quales nos elicimus, quia
nt oculos, aures & cæteros ſenſus qua-
os habemus: atqui illa ratio nulla eſt;
falſum eſt quòd bruta videant, audiant
ciant ſenſationes quales nos elicimus.
min. ſi illa ratio valeret, ſequeretur
bruta deberent etiam loqui ſicuti nos,
abent os, linguam, dentes & cætera
a ad loquendum neceſſaria: atqui illud
tra experientiam; ergo illa ratio non

. 1. neg. min. ad cujus prob. diſt. maj.
ideò vident, quia habent oculos & ani-

mam ſenſitivam, con. præciſè quia habent oculos, neg. quia bruta non vident per oculos tanquam per principium radicale, ſiquidem viſio provenit radicaliter & remotè à ſubſtantiâ animæ ſenſitivæ, proximè verò & immediatè à potentiâ viſivâ.

Reſp. 2. neg. duas primas min. prop. ad quarum prob. diſt. prob. maj. bruta habent os, linguam, dentes, & cætera organa diverſo modo diſpoſita, con. eodem modo diſpoſita, neg. quia propter illam variam diſpoſitionem quæ reperitur in organis hominum & brutorum, ſequitur quod homines loquuntur, & quòd bruta articulatè & diſtinctè non poſſunt loqui, licet loquantur ſuo modo, non quidem locutione propriè dictâ quæ non poteſt convenire brutis: illud enim diſcrimen intercedit inter ſonum, vocem & locutionem, quod ſonus conveniat rebus inanimatis, vox verò rebus animatis; & locutio conveniat ſoli homini.

Obj. ult. Si bruta haberent animas cognitione ſenſitivâ præditas, ſequeretur quòd illæ animæ eſſent animâ humanâ prudentiores & nobiliores: atqui illud non poteſt dici; ergo nec aliud. prob. ſeq. maj. plurima opera belluarum adeò mirabilia ſunt, ut humanam omnem induſtriam & ſolertiam ſuperent; quis enim poſſet apum favos imitari, irundinum nidos, philomelæ cantum, & formicarum providentiam; ergo animæ brutorum eſſent prudentiores animâ humanâ.

Reſp. neg. ſeq. maj. ad cujus prob. conceſ. ant. neg. conſ. propter triplicem rationem. 1. quia ex perfectioribus operibus non licet

ſemper inferre perfectiorem ſubſtantialiter formam; ſiquidem in eadem ſpecie humanâ aliqui acutiùs intelligunt, perfectiùs ratiocinantur, & prudentiùs naturaliter operantur: & ita licet animalia producant opera perfectiora, non inde inferre licet animas brutorum eſſe perfectiores animâ humanâ ſecundum ſe, ſed tantùm ex aliquo corporis defectu, aut ex liberâ hominis voluntate, per quam liberè in vitia etiam phyſica cadit. 2. quia ut animalia dicerentur habere animas perfectiores animâ humanâ, deberent ſecundum omnia opera ſuperare homines, quod quidem non poteſt dici; quamvis enim in quibuſdam majoris ſolertiæ oſtendant argumenta, quàm homines, in multis tamen aliis deficiunt, & multò illis inferiores ſeſe oſtendunt. 3. quia ex propriâ directione non diriguntur in ſuis operibus, ſed ex inſtinctu ab authore naturæ indito, ideoque mirum videri non debet, ſi ſapientiùs aliquando, atque ad rationis regulas conformiùs operentur, quia ſequuntur directionem rationis perfectioris quàm ſit ratio humana.

ARTICULUS II.

Vtrùm ratio propriè dicta ſit in brutis.

Dicendum eſt, rationem propriè dictam non eſſe in brutis.

Prob. Omnis ratiocinatio eſt cum reflexione conjuncta , eſt enim illatio unius cognitionis ex aliâ : atqui in brutis nulla eſt cognitio reflexa ; ergo nulla eſt ratiocinatio propriè dicta. Prob. min. omnia quæ fiunt in brutis, fiunt ex inſtinctu quodam : ſed omnia in brutis fieri ex inſtinctu quodam, eſt in brutis non eſſe cognitionem reflexam ; quæ enim fiunt inſtinctu , citra deliberationem & ratiocinationem , & ſolo naturæ impetu perficiuntur , ut in nobis ipſis experimur , cùm viſo ſerpente inhorreſcimus , vel tonitrui fragor aut bombardæ ita nos percellit , ut capitis depreſſione aut alio corporis motu quod imminere videtur nobis malum , conemur effugere ; ſic inſtinctu ſolo cum fallente veſtigio jam in terram cadimus , corpus ita libramus , & retrorſum ita rejicimus, ut maneat in æquilibrio ; ergo in brutis nulla eſt cognitio reflexa.

Obj. 1. magna in quibuſdam beſtiis eſt docilitas , conſtat enim experientiâ multas belluas , ut elephantes , equos , canes eſſe dociles & diſciplinæ capaces : atqui non poteſt eſſe docilitas in beſtiis , niſi ſit ratio ; ergo in beſtiis eſt ratio.

Reſp. diſt. maj. in beſtiis eſt docilitas impropriè dicta , con. propriè dicta , neg. quia illa duplex docilitas provenit à diverſo principio. Docilitas impropriè dicta provenit ex objectorum ſpecie & appetitu naturali ; ſiquidem belluarum cognitio variâ rerum ſenſibilium impreſſione augetur & roboratur : docilitas verò perfecta & propriè dicta non poteſt eſſe ſine reminiſcentiâ quæ reminiſ-

centia eſt cum reflexione, judicio, & ratione conjuncta, mediante enim reminiſcentiâ quod olim didicimus, cum eo quod occurrit, comparamus, quæ in abdito deliteſcunt, in lucem proferimus, quæ ſunt uſui noſtro, eligimus, nihil horum in beſtiis perficitur, quare in belluis eſt docilitas quædam imperfecta citra ullam indagationem & reminiſcentiam.

Inſt. atqui in belluis eſt docilitas perfecta; ergo nulla ſolutio. Prob. ſubſ. ubi eſt aliqua reflexio, ibi eſt perfecta docilitas: atqui in belluis eſt aliqua reflexio; ergo in belluis eſt docilitas perfecta. Prob. min. ubi eſt memoria, ibi eſt reflexio, memoria ſiquidem non poteſt intelligi citra aliquam reflexionem, quia recordari alicujus objecti jam cogniti, eſt reflecti ſupra objectum jam cognitum: atqui in belluis eſt memoria; ergo in belluis eſt reflexio.

Reſp. neg. ſubſ. ad cujus prob. neg. min. & diſt. maj. ubi eſt memoria, ibi eſt reflexio impropriè dicta, con. propriè dicta, neg. quia reflexio impropriè dicta eſt cognitio objecti ante cogniti, ſive cognitio quâ rurſus cognoſcimus objectum ante cognitum. Reflexio propriè dicta eſt cognitionis ipſius cognitio, ſive cognitio quâ cognoſcimus nos cognoſcere: reflexio quidem impropriè dicta reperitur in brutis ratione memoriæ, ſed non poteſt eſſe reflexio propriè dicta quæ requirit cognitionem intellectualem.

Obj. 2. & ult. bruta conjungunt futura cum præteritis, cum ex inflictis vulneribus cavent ſibi ab aliis quæ impendent, & quod

ſemel ad tuendam vitam utile ſunt experta, id maximè conſectantur: atqui illa omnia non poſſunt effici ſine ratione; ergo in brutis eſt aliqua ratio.

Reſp. diſt. maj. bruta conjungunt futura cum præteritis per aliquam cognitionem imperfectam, con. perfectam, neg. quia ut eſſet cognitio perfecta & ratiocinium, deberet eſſe cognitio univerſalis & comparatio antecedentis cum conſequentia; non enim poteſt homo concludere hoc bonum eſſe amandum, niſi ex vi hujus propoſitionis: omne bonum eſt amandum, quæ cognitio univerſalis non eſt in brutis; ſiquidem bonum univerſim ſumptum ab omni accidente ſenſibili abſtractum non poteſt ſenſum afficere, cùm non ſit determinatum.

ARTICULUS ULT.

Quid ſit anima ſenſitiva.

Dicendum eſt 1. animam ſenſitivam definiri actum primum corporis organici potentia vitam ſenſitivam habentis, ſive principium radicale operationum ſenſitivarum, quæ definitio conſtat genere & differentiâ, ut patet ex dictis.

Dicendum eſt 2. & ult. ſenſationem in communi eſſe operationem per quam anima tendit ad objectum determinatum, extrinſecum & materiale.

Prob. triplex eſt operatio animæ ſenſitivæ in communi, ſcilicet cognitio ſenſitiva, appetitio, & motus progreſſivus: atqui triplex illa operatio in hoc convenit quòd quælibet tendit ad aliquod objectum extrinſecum & materiale; nam cognitio ſeſitiva, v. g. viſio tendit ad aliquod accidens in re corporeâ exiſtens, appetitio tendit ad aliquod bonum extrinſecum, motus denique progreſſivus tendit ad locum extrinſecum; ergo ſenſatio eſt operatio per quam anima tendit ad objectum corporeum & extrinſecum.

QUÆSTIO II.

De potentiis extrinſecis animæ ſenſitivæ.

IN iſtâ quæſtione agetur de numero ſenſuum, & ſpeciebus neceſſariis ad ſenſuum operationes eliciendas.

ARTICULUS I.

De ſenſibus in communi.

DIcendum eſt dari quinque ſenſus externos, nec plures, nec pauciores, ſcilicet

viſum, auditum, guſtum, odoratum, & tactum.

Prob. ratione S. Thom. natura tribuit animalibus perfectis, non tantùm illa quæ ad vitam agendam ſunt ſimpliciter neceſſaria, ſed etiam illa quæ ad vitam commodè conſervandam inſerviunt: atqui quinque ſenſus inſerviunt ad vitam conſervandam, ut conſideranti patebit; ergo dantur quinque ſenſus, inter quos viſus eſt perfectior; & dignitate præſtantior, quia verſatur circa qualitatem omnium nobiliſſimam, ſcilicet lumen.

ARTICULUS II.

De ſpecierum ſenſibilium & intentionalium exiſtentia:

CONTRA CARTESIANOS.

NOtandum eſt 1. quod per ſpecies ſenſibiles & intentionales intelligimus quaſdam entitates quæ procedunt ab objectis quæ repræſentant & recipiuntur in potentiis. Illæ autem entitates varia ſortiuntur nomina: 1. Dicuntur ſpecies, hoc eſt imagines ſive formæ, quia ſicut forma in cognitionem rei nos ducit, ita illæ entitates nos ducunt in cognitionem objectorũ quæ nobis repræſentant: 2. Dicuntur ſenſibiles quia ſenſibus ad ſuas functiones deſerviunt: 3. Dicuntur inten-

tionales, quia notioni deſerviunt, quæ intentio dicitur, quia potentia per cognitionem tendit in objectum: 4. Dicuntur ſpecies impreſſæ, quia imprimuntur ab ipſis objectis in ipſis potentiis. In iſto articulo agetur de illis ſpeciebus in communi & probabitur ſpecies illas neceſſarias eſſe omnibus ſenſibus, ut ſuas poſſint exercere functiones, in ſubſequentibus quæſtionibus probabitur illas eſſe neceſſarias pro quocumque ſenſu in particulari.

Notandum eſt 2. quod Carteſiani rejicientes illas ſpecies ſenſibiles, aſſerunt omnem ſenſationem provenire à ſolo motu qui ab objectis cauſatur in organo ſenſuum, & ex organo ſenſuum communicatur cerebro, ut infra dicetur, ut autem clarius ſuam ſententiam explicent, docent quod tria in rei ſenſibilis perceptione diſtinguntur. 1. Impreſſio quæ ab objecto fit in organo ſenſuum: & illa impreſſio habet rationem ſpeciei, ſenſibilis, & nullam aliam ſpeciem intentionalem admittunt Carteſiani. 2. Illa impreſſio facta in organo ſenſus, tranſit ad primum ſenſorium, quodcumque illud ſit, & de quo diſputabitur in altero articulo 3. illa impreſſio in ſenſorio communi facta percipitur ab anima, in hac perceptione conſiſtit ſenſatio, nam ſenſatio nihil aliud eſt quam cognitio rei ſenſibilis, aut potius perceptio actionis quæ à re ſenſibili perfecta in organo excipitur. Neque enim illa actio rei ſenſibilis ſenſum efficit, niſi cum cognoſcitur; nec ſentire aliud eſt niſi cognoſcere paſſionem ſuam, aut actionem quam in ſe recipit.

Notandum eſt 3. quod ut Carteſiani explicent quomodo motus qui eſt in ſenſatione, per organa in cerebrum ad mentis ſenſorium commune deferatur, docent quod *nervi conſtant duabus partibus, membranâ ſcilicet duplici, ab utraque meninge cerebri ortum habente, atque in tubulos excavata, & fibrillis tenuiſſimis ab ipsâ cerebri ſubſtantiâ ortis, ac in partes ſive ſenſoria per medios tubulos productis, iiſque incluſis: & tubuli iſti nervorum ſemper in vigiliâ aliquantum à ſpiritibus animalibus ſint inflati & diſtenti, ita ut incluſæ fibrillæ, licet ſe mutuò multis in locis leviter contingant, attamen cum ſint ab omni preſſione liberæ, ſi ab objectis moventur, motum ſuum etiam per membra flexa & incurvata quibus intenduntur, ad cerebrum tranſmittant; quemadmodum fides teſtitudini intenſa & plectro mota, ad extremos ſuos fines motum diffundit: cumque ventriculi cerebri perpetuò à ſpiritu animali in vigilia, inſtar veli à vento tumidi, ſint diſtenti; & Conarion ſive glandula pinealis quæ eſt in medio ventriculorum cerebri, à ſpiritibus animalibus undique cingatur & perfunditur: itaque quicumque motus fibrillis nervorum impreſſus, ad cerebrum diffunditur, is neceſſariò etiam contiguis ſpiritibus, in ventriculis cerebri exiſtentibus imprimitur, ac illorum ope, glandulæ pineali, & ibidem animæ, inter partes ejus in unum ibi coëuntes exiſtentis, communicatur.* Sic ſententiam Carteſianorum explicat Regius lib. 5. cap. 2. & his ita dictis, rejicit ſpecies intentionales peripateticorum, his verbis. *Quod autem*

ad

ſenſus excitandos , nec ſpecies intentio-
es , nec qualitates ſpirituales , nec aliæ res
intelligibiles , ab objectis ad ſenſoria ve-
ntes , requiruntur ; ſolus motus localis ejuſ-
varietates hic ſufficiant , ex titillatio-
, doloris , ſonorum & luminis ab objecti
oris motu orti, perceptione, eſt manife-
t. Ictus enim pugni , oculo vehementius
us facit , etiam in tenebris , ſcintillarum
ariorum colorum ſenſationem ; idem au-
feriens producit perceptionem ſoni ; idem
corporis parte exceptus excitat dolorem.
tio laterum & plantæ pedis facit titilla-
em. Imò in ſingulorum ſenſuum explicatio-
oſtea patebit , motum localem in iis fieri.
uicquam prætereà in iis poſſe demonſtrari
icendum eſt contra Carteſianos in ſenſi-
dari ſpecies intentionales quæ procedunt
ſis objectis.

ob. 1. ex Vincentio. In ſenſibus inter-
lantur rerum imagines & ſpecies ; ergo
ernis debent dari prob. ant ubi primum
m aliquam nunquam antea viſam , ocu-
njicimus , poſtea clauſis oculis , ejus
inem interius formamus , quia ſine du-
llam prius oculis acceperam retinemus
ius. Idem etiam conſtat ex memoriâ
ivâ tum hominum, tum brurorum, quo-
enim rei abſentis & præteritæ memo-
recordatio ſubiret , ſi non remanerent
acra rerum in ſenſu interno ; ergo, &c.
. 2. Senſus ſunt ex ſe indeterminati ad
iendum hoc vel illud objectum ; ergo
t recipere aliquid per quod determinen-
hoc objectum potiuſquam ad aliud ,

alias remanerent ſemper indifferentes & indeterminati : atqui illud per quod ſenſus determinantur, non poteſt eſſe aliud quam ſpecies intentionales. Nam ſi potentiæ poſſēt determinari per aliquid aliud maximè per extrinſecam præſentiam objecti, quod non poteſt dici, quia potentiæ debent recipere aliquid per quod intrinſecè determinentur, non poſſunt autem recipere objectum extrinſecum, ut manifeſtum eſt; ergo debent recipere ſpecies impreſſas, quæ ipſas intrinſecè determinent, & quæ ipſis objectum repreſentent.

Prob. 3. preciſè contra Carteſianos quorum ſententia plura falſa ſupponit 1. ſupponit ſenſuum organa ab objectis impelli & moveri, atque omnem ferè ſenſionem cum aliquo motu eſſe conjunctam; falſum autem eſt quod objecta motum localem communicent organis ſenſuum? Quomodo enim paries viſus poteſt movere potentiam viſivam, illud certè non poteſt explicari. 2. Suppōit facultatē quæ objecta percipit, in cerebro eſſe conſtitutā ita ut ſenſus nihil aliud ſint quā inſtrumēta, quibus utitur amima, ut rerum ſenſibilium impreſſiones percipiat, ſed illud etiam falſum eſſe probabimus in altero articulo. 3. ſupponit quod impreſſio facta, in organis ſenſuum, communicatur cerebro: atqui falſum eſt quod talis impreſſio communicetur cerebro, nam ideo ex Carteſianis fit talis motus communicatio, quia nervus in aliqua ſui parte percuſſus, in ſua origine tremit quodammodo, & ſentientem facultatem excitat: atqui incredibile eſt quod nervus in aliquà ſui

parte percuſſus, tremat in ſua origine, quia incredibile eſt quod nervus adeo intendatur, ut aſſerit Duhamel lib. 1. de corpore animato, cap. 3.

ARTICVLUS III.

De natura ſpecierum ſenſibilium.

CONTRA EPICURUM.

NOtandum eſt 1. Species ſenſibiles (juxta Epicuri ſententiam) nihil aliud eſſe quam effluxus quoſdam tenuiſſimos qui è corporibus in ſenſus noſtros incurrunt: qui quidem è certis atomis ita contexuntur, ut ſenſorii meatus ſibi aptatos ſubeant, ſic colorum flammulæ ſolius visûs organum ſibi accommodatum offendunt; cæteros ſenſus non movent: quod eorum organa inconcinnos habeant meatus. Ac læduntur quidem organa, cum atomi è corporibus prodeuntes ſenſorii poris non conveniunt; tumque moleſtiſſimus ſenſus efficitur, cum lux uberior, vel ſonus acutior, aut odor fœtidus, vel injucundus ſapor, aut denique caloris vis acrior, membranæ, aut nervi meatus diducit vehementiùs, aut aſperitate ſuâ lædit, atque angulorum apicibus ſenſorium quodammodo lancinar. Quocumque id fiat modo, ſeu validiore motu partes diſcutiat effluvium illud ab objecto manans; ſeu nimis contrahat, aut de-

nique anguſtiores offendat poros, & vi quadam in eos inſtar cunei adigatur. Hinc non omnibus iidem ſapores, vel odores placent: quod organa non ſint in omnibus ſimili modo conformata, atque in illis meatus ſint apertiores, in aliis contractiores: ſic Epicuri ſententiam proponit Duhamel.

Notandum eſt 2. quòd juxtà Peripateticos, ſpecies nihil aliud ſunt quàm accidentia aliqua materialia quæ procedunt ab objectis & recipiuntur in potentiis.

Dicendum eſt 1. contra Epicurum ſpecies ſenſibiles, non eſſe effluxus quoſdam ſubſtantiales.

Prob. triplici ratione. 1. Quia fidem omnem ſuperat, tenuiſſima quædam ramenta & veluti exiles membranulas à corpore viſibili in omnes partes diffundi, citra ullam corporis imminutionem: adeo ut idem corpus ſingulis momentis deteratur, & per tot annorum volumina integrum permaneat. 2. Quia non poteſt explicari quænam ſit illa vis quæ tot imagines in rectas lineas quoquoverſùm effundit. 3. Non poteſt etiam explicari quomodo tot effluxus ſubſtantiales inconfuſi per idem anguſtiſſimum foramen citra penetrationem poſſunt pertranſire.

Reſpondet primæ rationi Bernerius, tom. 2. lib. 1. de qualitatibus cap. 15. dicit enim quòd licet e corpore viſibili plurimi effluxus ſubſtantiales eruantur, tamen illud corpus non minuitur, quia ubi corpus viſibile emittit quoſdam effluxus ſubſtãtiales, in ſe mox recipit alia corpuſcula ab objectis oppoſitis procedentia, ita ut fiat quaſi quædã compẽſatio

Sed quàm infirma & falſa ſit iſta reſponſio clarè patet, cum nullomodo poſſit probari illa corpuſculorum tranſmigratio à quibuſdam objectis in alia? à quo enim ab objectis oppoſitis avellerentur illa corpuſcula, non quidem à luce, quia licet lux conſiſteret in quibuſdam corpuſculis quæ haberent vim partes corporum malè cohærentes movendi & diſcutiendi. *Quomodo*, inquit Duhamel loc. jam cit. *lux poſſit e marmore, aut alio duriori corpore extimas velut pelliculas, aut ſuperficies radere & jugiter deterere, non ſatis aſſequor: nec video quomodo iidem in marmore inſculpti caracteres tot labentibus ſæculis perſeverent, ſi ex iis quidam ſubſtantiales effluxus continenter decedant.*

Dicendum eſt 2. cum Peripateticis ſpecies ſenſibiles eſſe accidentia materialia.

Prob. Species ſenſibiles non poſſunt conſiſtere in ſolo motu ut jam probatum fuit contra Carteſium: non poſſunt etiam conſiſtere in corpuſculis, ut probatum fuit contra Epicurum; ergo debent eſſe accidentia. Plurimæ difficultates quæ circa ſpecies ſolent proponi, ſolventur ubi agetur de ſpeciebus in particulari pro quocumque ſenſu.

ARTICULUS IV.

Vtrùm rei ſenſibilis perceptio fiat in ſenſuum exteriorum organis, vel in cerebro.

CONTRA CARTESIUM

NOtandum 1. Carteſium docere quòd anima humana non ſentit, niſi quatenùs eſt in cerebro *Sciendum*, inquit 4. parte princ. num. 189. *humanam animam & ſi totum corpus informet, præcipuam tamen ſuam ſedem habere in cerebro, in quo ſolo non modò intelligit & imaginatur, ſed etiam ſentit: hocque opere nervorum qui filorum inſtar à cerebro ad omnia reliqua membra protenduntur: iiſque ſic annexi ſunt, ut vix ulla pars humani corporis tangi poſſit, quin hoc ipſo moveantur aliquot nervorum extremitates per ipſam ſparſæ, atque earum motus ad alias eorum nervorum extremitates, in cerebro circa ſedem animæ collectas transferatur: motus autem qui ſic in cerebro à nervis excitantur, animam ſive mentem intimè cerebro conjunctam, diverſimodè afficiunt, prout ipſi ſunt diverſi: atque hæ diverſæ mentis affectiones, ſive cogitationes ex iſtis motibus immediatè conſequentes, ſenſuum perceptiones, ſive ut vulgò loquimur ſenſus appellantur.*

Notandum eſt 2. quòd juxta Carteſii mentem anima non permiſcuè in omnibus cerebri partibus ſuas functiones exercet, ſed præſertim in quâdam glandulâ quam in medio cerebri vult eſſe conſtitutam. Hanc cerebri partem deſignat in tract. de homine pag. 72. dicit enim, *Ideas objectorum quæ vidimus in animo noſtro perſeverare, quandiù quædam foraminula, quæ in glandula cerebri ab objectorum quæ vidimus, corpuſculis facta ſunt, manent aperta, eaſdemque ideas omninò deleri & à memoria excidere, quando talia foramina occluduntur, ita ut rerum quæ à talibus ideis repræſentabantur, obliviſcamur.*

Dicendum eſt contra Carteſium, perceptionem rei ſenſibilis, ſive ſenſationem non fieri in cerebro, ſed in ſenſibus.

Prob. 1. Ideò ſenſatio fit in cerebro ab animâ in glandulâ reſidente, quia motus ſenſuum organis impreſſus, ad glandulam uſque transfertur: atqui falſum eſt quòd talis motus ad glandulam uſque poſſit transferri, quia falſum eſt quòd organorum fibræ & nervi ad cerebri glandulam correſpondeant; illa enim glandula non ſita eſt, ubi eam conſtituit Carteſius, ut peritiſſimus hac in re D. Stenon aſſerit.

Prob. 2. Ex ſententiâ Carteſii ſequeretur quòd anima in cerebri glandulâ reſidens, immediatè ſuas eliceret ſenſationes: atqui falſum eſt quòd anima immediatè eliciat ſuas ſenſationes, quia ſubſtantia non eſt immediatè operativa, ut jam probatum fuit in primâ parte phyſ. 2. quia ut ait S. Auguſt. lib. de quantitate animæ cap. 29. *Non ſentimus*

ratione, ſive animâ, *ſed aut viſu, aut auditu aut olfactu, aut guſtu, aut tactu*; ergo &c.

Reſpondent nonnulli Carteſiani quod ſenſationes in ſenſuum exteriorum organis inchoantur, ſed in cerebro perficiuntur.

Sed contra, ibi ſenſationes perficiuntur, ubi fit vera cognitio & judicium rei ſenſibilis: atqui in ſenſibus fit vera cognitio & judicium rei ſenſiblis juxta Scripturam ſacram. Job. cap. 12. verſu 11. *Nonne auris verba dijudicat, & fauces comedentis ſaporem*; ergo in ſenſibus perficiuntur ſenſationes.

Obj. 1. de puella quadam refert Carteſius, quod brachio ob gangrenæ periculum amputato (quod factum illa ignorabat, quoniam ob terroris metum, velati fuerant, dum mutilaretur, oculi) ſæpe conquerebatur ſe in quibuſdam digitis mox in aliis dolorem pati. Quod profecto alia ex cauſa oriri non poterat, quam quià nervi qui à cerebro ad brachium veniebant, brachio amputato, prope cubitum terminabantur, & eodem verſus illum locum afficiebantur; ac affici debuiſſent, ſi manus adhuc dolore torqueretur. Illa ergo experientia probat, quod in cerebro, non in partibus affectis fit perceptio.

Reſp. cum Vincentio meritiſſimo in ſua diſcuſſione peripatetica 4. parte pag. 512. *Quid enim probat error ille puellæ, niſi alium errorem? quaſi verò non potuerit læſa imaginatione falli, putando ſe dolere in digitis, quibus carebat, ſicut fallebatur putando ſe illos adhuc habere; ſentiebat ergo verè verum dolorem in nervis, & in parte læſa; fal-*

lebatur autem in deſignatione partis facta ab imaginatione: ſicut dum auditus judicat, canpanam cujus ſonum percipit, eſſe in loco in quo non eſt, ut enim rectè ait Ariſt. lib. 2. de anima. cap. 6. text. 3. viſus non errat eſſe colorem, aut auditus eſſe ſonum, ſed quid ſit id quod eſt coloratum, vel ubi; aut qnid ſit id quod ſonat, vel ubi.

Obj. 2. conſtat experientiâ 1. quod quando mens aliò intenditur, res quæ ſunt in conſpectu, non cernimus. 2. Quod ſomnus omnem ſenſum adimit, quamvis ille ſolum cerebrum occupet. 3. Quod ſolo cerebro graviter læſo, & reliquis membris exiſtentibus integris, ut in apoplexia, epilepſiâ, catalepſi, aliiſque gravibus cerebri affectibus cótingit, ut reliquum corpus ſit ſine ullo ſenſu, quamvis illud varia objecta moveant: atqui illæ tres experientiæ probant ſenſationes fieri in in cerebro, non verò in ſenſibus; ergo &c. prob. min. quoad omnes partes. 1. Ideo quando mens alio intenditur, non cernimus res quæ ſunt in conſpectu, quia mens aliò intenta non percipit impreſſionem in ſenſibus factam. 2. Ideo in ſomno ſenſus omnis adimitur, quia in ſomno motus ſenſuum organis impreſſus, non poteſt ad cerebri intima perferri. 3. Ideo in apoplexia nullus eſt ſenſus, quia motus non poteſt ad glandulam uſque transferri, aditus enim per apoplexiam præcluditur ſpiritibus qui in nervorum tubulis continentur; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. & ad probationem explico omnes experientias. 1. Ideo quando mens alio intenditur, non cernimus res

quæ ſunt in conſpectu:quia per illam nimiam attentionem conſumuntur ſpiritus animales qui ſunt neceſſarii ut potentia viſiva ſuas poſſit exercere functiones; Propter ergo ſpirituum animalium defectum non cernimus quæ ſunt in conſpectu, quando mens alio intenditur. 2. Ideo in ſomno, in apoplexia, cæteriſque morbis cerebrum malè afficientibus, omnis adimitur ſenſus, quia ad quamlibet cujuſlibet ſenſus operationem deſiderantur ſpiritus animales qui per ſomnum, apoplexiam, cæteroſque morbos, è cerebro ad cæteras corporis partes non poſſunt diffundi, quia tunc illis aditus præcluditur.

Obj. 3. viſio non poteſt fieri in oculis; ergo debet fieri in glandula, & priondè aliæ ſenſationes in eadem cerebri parte debent fieri, prob. ant. ſi in oculis fieret viſio, ſemper objectum appareret duplex, tunc enim duæ objecti imagines formarentur; ergo viſio non fit in oculis.

Reſp. 1. retorquendo argumentum & dico quod ex ſententia Carteſianorum ſequitur etiam quod duplex ſemper deberet videri objectum. Ideo enim ex Carteſianis duplex deberet videri objectum, quia duæ ſpecies recipiũtur in oculis: atqui etiam ex ipſis Carteſianis duæ ſpecies recipiuntur in oculis, quia duæ impreſſiones, quæ habent rationem ſpeciei, recipiuntur in oculis una in quolibet; ergo ex ipſis Carteſianis deberet etiam videri duplex objectum.

Reſp. 2. neg. utrumque ant. quia licet recipiantur in oculis duæ ſpecies, non tamen debet videri duplex objectum, nam decem

homines plurimas ejuſedẽ objecti ſpecies recipiunt, & tamen non vident diverſa objecta, ſed unum. Sed de viſione adhuc agetur in alterâ quæſtione.

QUÆSTIO III.

De Tactu.

QUAMVIS tactus cœteris ſenſibus videatur poſtponi, de illo tamen priùs agendum eſt: tùm quia ad tutelam animalis maximè eſt neceſſarius: tùm quia eſt communior, quia per omnes corporis partes diffunditur. De illius ergo ſenſûs organo, medio & ſpeciebus breviter diſputabitur.

ARTICULUS I.

De organo & medio tactûs.

NOtandum eſt, tactum eſſe potentiam organicam animæ ſenſitivæ, natam percipere primas qualitates, calorem ſcilicet, frigus, humiditatem & ſiccitatem; natam etiam percipere gravitatem, & alias qualitates.

litates.

Dicendum eſt, organum tactûs eſſe nervum ſub carne poſitum, & per totum corpus diffuſum ad modum retis; carnem verò eſſe medium per quòd deferuntur ſpecies.

Prob. Senſibile ſupra ſenſum poſitum non facit ſenſationem, tamen tangibile ſuprà carnem poſitum ſentitur quòd ſignum eſt carnem non eſſe organum tactús. Præterea ex Ariſt. & S. Thom. organum tactûs debet eſſe terreum: ſed caro non eſt terrea, ſed potiùs aërea, cum ſit humida & calida; ergo caro non eſt organum tactûs, ſed tantùm medium.

Obj. 1. Ariſtoteles docet carnem eſſe organum tactûs, illud etiam docet S. Thomas opuſc. 43. ergo nervus non eſt organum tactûs.

Reſp. diſt. auth. Caro eſt organum tactûs, ratione nervi, con. ratione ſui, neg. quia verum quidem eſt quod caro ſentit eodem modo quo lingua guſtat; id eſt ratione nervi in illâ incluſi, unde Sanctus Thomas affirmat, carnem eſſe ſimùl medium & organum tactûs diversâ ratione, eſt medium ratione ſui, eſt organum ratione nervi.

Obj. 2. & ult. In quibuſdam partibus ſit ſenſatio tactûs, in quibus non ſunt nervi ſed ſola caro, ut in corde, pulmone, hepate; ergo caro eſt organum tactûs.

Reſp, neg. ant. quia falſum eſt quòd in corde, pulmone & hepate non ſit nervus quidam tenuis quo mediante ſentitur.

ARTICULUS II.

De ſpeciebus pro tactu neceſſariis, & utrùm organum tactus debeat phyſicè & non tantùm intentionaliter immutari.

NOtandum eſt 1. Tactum recipere ſpecies intentionales ab objecto, ſiquidem aliquæ ſecundæ qualitates, ut durities, mollities & levitas non producunt ſibi ſimiles in manu, & tamen ſentiuntur; ergo ſpecies intentionales ſenſum immutant,

Notandum eſt 2. & ult. Quòd quando quæritur utrùm organum tactûs debeat phyſicè immutari, & non tantùm intentionaliter, idem eſt ac ſi quæreretur utrùm objectum tactûs debeat producere aliquam qualitatem, priùſquam producat ſui ſpeciem, quæ immutet phyſicè organum tactûs; ita ut qualitates quæ ſunt objectum tactûs, habeant duas actiones circa organum tactûs, alteram naturalem quæ ſit productio ſui ſimilis, alteram intentionalem quæ eſt productio ſpecierum.

Dicendum eſt, objectum non tantùm debere immutare intentionaliter organum ſenſus, ſed etiam phyſicè.

Prob. Eò vehementiùs ſentirur calor ignis

à tactu, quò ejus organum magis alteratur à calore; ergo tunc producitur ſpecies intentior à calore: ſed ſpecies intentior requirit intentiorem alterationem in organo tactûs; ergo productio ſpeciei præſupponit productionem qualitatis, & proinde objectum debet immutare organum tactûs non tantùm intentionaliter, ſed etiam phyſicè.

Obj. Plurimæ qualitates, ut mollities & aliæ non producunt qualitatem ſimilem in organo; ergo immutatio intentionalis non præſupponit immutationem phyſicam.

Reſp. neg. conſeq. quia licet illæ qualitates non producant ſibi ſimiles, juvant tamen primas qualitates ad illas producendas, diſponendo ſubjectum ad illarum qualitatum introductionem, & ita illæ qualitates ſuo modo agunt per primas qualitates.

ARTICULUS ULT.

De quibuſdam problematis, ad tactum pertinentibus.

DIcendum eſt 1. bonitatem tactûs, ingenii & judicii præſtantiam denotare.

Prob. Secundum Ariſtotelem & Galenum mores animi ſequuntur temperamentum corporis; ergo ibi eſt ingenii præſtantia, ubi eſt temperamenti bonitas: ſed ubi eſt bonitas tactûs, ibi eſt temperamenti bonitas, quia ta-

ctus radicem habet & fundamentum in primis qualitatibus, & ita illarum qualitatum apta temperies eſt cauſa optimi tactûs; ergo bonitas tactûs denotat ingenii præſtantiam: vel ibi eſt major ingenii perſpicacia, ubi liberiores & puriores ſpiritus ad ſenſuum organa procedunt & quando eſt caro mollis & defœcata, tunc liberiùs puriores ſpiritus ad organa ſenſuum procedunt, & mediantibus illis ſpiritibus, organa ſuas operationes nobiliſſimo modo eliciunt; ergo carnis mollitudo denotat ingenii præſtantiam.

Dicendum eſt 2. lachrimas ridentibus & lætis frigidas ſentiri, calidas verò triſtibus.

Prob. Ideò lachrimæ lætis & ridentibus ſentiuntur frigidæ, quia dilatato per riſum & lætitiam corde calor ad exteriora ſimùl cum ſanguine diffunditur, & ita lachrimæ è cerebro frigido profluentes, frigidiores ipſo vultu exiſtunt, & conſequenter frigidæ ſentiuntur. Per rationem autem oppoſitam ideò triſtibus lachrimæ calidæ ſentiuntur, quia per triſtitiam contrahitur cor, & ita calor ad cor accedens omnia corporis membra frigida relinquit, & proinde lachrimæ calidiores percipiuntur.

Dicendum eſt 3. & ult. quòd illi qui inconſultò feriuntur, multò minùs dolent, quam qui conſultò & advertentes vulnerantur.

Prob. & expl. con. Ideò qui inconſultò percutiuntur, minùs dolent, quia animus ad alia diſtractus, ad propria vulnera non attendit, & ita minorem dolorem ſentit: illi verò qui conſultò & advertentes vulnerantur, majorem dolorem percipiunt, quia malum ple-

nâ attentione percipiunt; quando verò dicitur quod tela prævisa minùs feriunt, non intelligendum eſt quod minorem dolorem afferant, ſed ideò minùs feriunt quia vel declinantur, vel quia remedium aliquod malis imminentibus & præviſis paratur.

QUÆSTIO IV.

De Guſtu.

OMNIA quæ ad guſtum ſpectant, duobus in articulis exponentur. In 1. agetur de organo, medio & objecto guſtûs. In 2. de ſpeciebus pro guſtu neceſſariis, & de quibuſdam problematis ad guſtum ſpectantibus.

ARTICULUS I.

De organo, medio, & objecto guſtûs.

CONTRA CARTESIUM ET GASSENDUM.

NOtandum eſt 1. Guſtum eſſe potentiam organicam animæ ſenſitivæ, natam percipere ſaporem, circa quem tanquam circa objectum verſat.

Notandum eſt 2. organum ſive ſubjectum guſtus eſſe nervum molliorem & ſiccum intra linguam diffuſum, quia cum objectum guſtûs ſit humidum, debet percipi ab organo ſicco, & ideo cùm talis nervus ſit ſiccus, organum guſtus eſt ipſe nervus, medium verò guſtûs eſt caro linguæ ſuperpoſita nervo ſentienti ſapores.

Notandum eſt ult. quòd ſapor qui eſt objectum guſtus, definitur à peripateticis, qualitas ex combinatione primarum qualitatum in quâ humidum prædominatur ſicco. Illud ergo quod eſt in cibis, & quod facit ut illi cibi ſint ſuaves vel amari, eſt aliqua forma accidentalis, & ita cibi diverſos guſtus habent, quia habent diverſas qualitates: Carteſius autem docet quòd ſapor non eſt aliqua qualitas in cibis; ideò dicit quod ſapor conſiſtit in diverſis partibus quæ componunt cibos, & ideò cibi diverſos guſtus habent, quia componuntur ex diverſis partibus habentibus diverſas figuras, quæ ſi acutæ & rudes ſint, linguam acriter tangunt, & ſaporem acrem & aſperum efficiunt. ſi verò leves ſint & ſuaves leniter linguam attingunt, & ita ſuavem & gratum ſaporem exhibent. Cum opinione Carteſii convenit opinio Gaſſendi; docet enim quòd ſapor conſiſtit in quibuſdam corpuſculis diverſas figuras habentibus.

Dicendum eſt contra Gaſſendum & Carteſium, ſaporem non conſiſtere in diverſis partibus diverſas figuras habentibus.

Prob. ſuavis ſapor non provenit ex partibus lævibus; ergo ſapor non conſiſtit in quibuſdam partibus diverſas figuras habentibus.

Prob. ant. plurima ſunt quæ habent partes rudes & impolitas, & tamen dulcem ſaporem exhibent, ut partes ſacchari, non ſolùm magnæ, ſed etiam minutiſſimæ, quia magnæ ex parvis componuntur, & totum ex utriſque. Præterea ſequeretur quod illa quæ ſuaviter olerent, ſuavia etiam guſtui apparerent, & quòd illa quæ malè olerent, guſtui etiã non placerent; nam eadem corpuſcula quæ nares pungerent, linguam etiam pungerent; ſiquidem illa duo organa ſunt ſimilis conſtitutionis, & æquè ſubtilia & craſſa, & ſi alterum altero ſubtilius ſit, verum ſemper erit quòd particulæ pungentes magis afficiant organum quod ſubtilius erit; ergo ſapor non conſiſtit in diverſis partium, vel corpuſculorum figuris, ſed ſapor eſt aliqua forma accidentalis, quæ definitur ab Ariſt. *Secunda qualitas ex primarum commixtione orta in quâ ſiccum terreſtre, & humidum aqueum dominantur, hæc decoquente & permiſcente calore, guſtus immutativa.* 1. Sapor oritur ex primis qualitatibus, ideóque non reperitur in puris elementis. 2. Siccum debet eſſe terreſtre, quia ſiccitas ignea eſt in materia nimis tenui, quæ conſequenter facilè evaneſcit, nec proportionatur guſtui qui eſt naturæ craſſæ. 3. Debet eſſe humiditas aquæ, quia quod habet vim nutriendi, debet eſſe compactum & denſum: humiditas autem aërea non eſt talis. 4 Requiritur calor ut ſiccum, humidumque decoquat, & aptè permiſceat. 5. Eſt guſtus immutativa, quia ſaporis munus eſt, guſtum de potentiâ in actum reducere.

ARTICULUS II.

De ſpeciebus pro guſtu neceſſariis & de quibuſdam problematis ad guſtum ſpectantibus.

CONTRA CARTESIANOS.

DIcendum eſt 1. ſpecies intentionales admittendas eſſe pro guſtu.

Prob. in guſtu debet fieri immutatio, ut patet ex definitione ſaporis: atqui talis immutatio fieri non poteſt, niſi per ſpecies intentionales; ergo &c. non poteſt fieri per receptionem alicujus qualitatis quæ producatur à ſapore, quia ſapor non eſt qualitas activa; non poteſt etiam fieri per motum organo impreſſum ab objecto ſenſibili, ut volunt Carteſiani, quia talis motus cauſaretur ab objecto ſenſibili per quandam figuram partium: atqui talis motus non poteſt cauſari per figuram partium, quia (ut jam probatum fuit contra Carteſianos) ſapor non conſiſtit in corpuſculorum figura; ergo talis immutatio cauſatur per ſpecies intentionales ſaporis.

Dicendum eſt plurima eſſe problemata ad guſtum ſpectantia.

1. Portulaca ſtuporem dentium tollit, quia tunc eſt ſtupor dentium, quando aliquæ particulæ aſtringentes gingivas, vel dentes occu-

pant, atque adeo ubi ex dentiũ preſſione, gingivæ, vel tantulum comprimuntur, tunc ab illis particulis punguntur: tunc ergo tollitur ſtupor dentium, quando illæ particulæ & gingivis expelluntur, illud autem fit à portulaca quæ eſt herba, pinguiore, lentiore, è craſſiore ſucco conſtans, & proinde valde ſpongioſa eſt, & ita illa filamenta gingivis implicata quaſi exugit & ad ſe adducit. Propter eandem rationem mollior panis portio, quæ ſpongioſa eſt, dentium ſtuporem tollit.

2. Mulierculæ quæ uterum geſtant, res omnino inſuaves vehementius appetunt. Quia in illis ob ſuperfluum ſanguinem depravantur humores, ex quibus humoribus depravatis multa ſequuntur nempe obſtructiones toto ferè corpore, pallor inſolitus, guſtus depravatio, & depravata denique harum rerum appetentia.

3. Omnia dulcia jecur & lienem augent, quia dulcia multâ uligine conſtant, dum percolantur in jecore, in illo multas partes relinquunt, propter quas jecur creſcere neceſſe eſt.

4. Dulcibus ocyùs ſaturamur, quam acribus, aut acidis. Quia (ut ait Vincentius) *Dulcia ut plurimum ſucculenta ſunt & alimentitia, ideoque magis ſatiant, & appetentiam ſedant: acida verò & acria minus nutriunt, & potius famen acuunt: quam extingunt*. Hoc problema alio modo explicans Hon. Fabri rationem jam allatam nullam eſſe putat *Dulcia*, inquit, phyſ. tract. 4. lib. de ſaporibus prop. 51. *Citiùs ſaturant, quam acria; quia acria ventriculum ultra ſollici-*

tant, dum illum acrimoniâ ſua vellicant quæ cum dulcia careant, non mirum eſt, ſi ventriculum ultra non urgent: adde quod dulcia ut plurimum ſunt pinguia; igitur ſupernatant, ſed quæ ſupernatant, nauſeam potius, quam appetentiam conciliant: hinc rejicies illam rationem, quam alij afferunt, quod ſcilicet, cum dulcia multum nutriant, acria parum, appetentiæ, quæ fertur in alimentum, citius dulcia faciunt ſatis, quâ multum alimenti & parum excrementi continent, ut acria multum excrementi, parum alimenti; hæc ratio meo judicio nulla eſt, nec enim tam cito digeſtio & concoctio fieri poteſt, ut illius effectus naturæ & appetentiæ ſatisfaciat, igitur primis illis rationibus ſtandum, quæ rem evincunt. Sed non video, cur prima ratio à R.P. Vincentio, aliiſque Philoſophis allata, Honorato Fabri non placeat. Nullumque eſſe argumentum videtur, quo ipſe Philoſophus primam rationem rejicit: ideo enim ex ipſo Philoſopho prima ratio nulla eſt, quia tam citò digeſtio & concoctio fieri non poteſt: atqui ut appetentia ſedetur, non eſt neceſſe ut fiat digeſtio & concoctio, alioquin appetentia non ſedaretur, niſi poſt tranſactum longum temporis ſpatium, putâ poſt tres circiter horas poſt quas tantum, juxta celebriorum medicorum ſententiam, fit prima concoctio ſive tranſmutatio alimenti in chilum, & tamen conſtat experientiâ quòd appetentia ſedatur immediatè poſt aſſumptos cibos ſufficientes ad reparandam ſubſtantiam per calorem depaſtam; ita ut natura aſſumptis alimentis contenta, mox & ante ip-

ſam etiam alimentorum concoctionem, reſpuat alia; ergo argumentum quo Hon. Fabri primam rationem rejicit, nullum eſt.

5. Dulcia minus guſtamus, ſi calida ſumantur, quam ſi frigida. Hujus problematis reddit rationem R. P. Vincentius his verbis loco jam citato: ***Quia vehementius ſenſibile in ſe vim ſentiendi convertit, & à perceptione debilioris ſenſibilis abducit. Unde cum in organo guſtus reperiatur ſimul ſenſus tactus, calor qui vehementiorem vim agendi obtinet, tactum præoccupat, & ita guſtatus actum hebetat, avocando ſaltem imaginationem à ſenſu dulcedinis: quod non ita evenit, ſi dulce ſumatur frigidum, ob minorem frigoris in agendo virtutem.*** Illud idem problema explicans Hon. Fabri hanc rationem rejicit loc. cit. ***Non poteſt dici***, inquit, ***quod calida minus dulcia ſentiantur, ex eo quod cum ſint duo ſenſus, calidi ſcilicet & dulcis, calidi ſenſus guſtum quaſi obfuſcat alia ad guſtum ſpectantia; hæc ratio nulla eſt, cum etiam ſit frigidi ſenſus.*** Fateor quidem, quod quando dulce ſumitur frigidum, eſt frigidi ſenſus, ſed ille frigidi ſenſus, cum ſit debilior, quam calidi ſenſus, quia calor majorem in agendo virtutem obtinet quam frigus, licet calidi ſenſus guſtatus actum hebetet, illud idem non poteſt præſtare frigidi ſenſus. Plurima ſunt problemata ab Ariſtotele propoſita quæ poſſunt facile explicari.

QUÆSTIO V.

De odoratu.

QUatuor de odoratu hac in quæſtione ſunt exponenda. 1. Agetur de organo odoratus. 2. De objecto odoratus. 3. De ſpeciebus pro odoratu neceſſariis. 4. De quibuſdam problematis ad odoratum ſpectantibus.

ARTICULUS I.

De organo odoratus.

NOtandum eſt 1. odoratum eſſe potentiam organicam animæ ſenſitivæ, natam percipere ſuum objectum, ſcilicet odorem.

Notandum eſt 2. quod organum odoratûs habet partes externas & internas. Inter partes externas eſt præcipuè naſus conſtans tribus oſſibus quæ ad medium naſi terminantur, & illius cavitatem efformant; conſtat etiam quinque Cartilaginibus quarum illa quæ narem utramque diſcriminat, vocatur

Diafragma; conſtat etiam quibuſdam muſculis, venis & nervulis. Partes internæ odoratus duæ præcipuæ ſunt, ſcilicet os quod vocatur Ethmoïdes hoc eſt cribiforme in medio frontis baſi poſitum, aliæ partes ſunt proceſſus mamillares. Illud os cribriforme habet duas partes, ſcilicet ſuperiorem & inferiorem. Superior habet foramina parva, ne corpus aliquod craſſum in cerebrum ingruat; illa foramina ſunt etiam obliqua, ne ipſe aër rectà ingrediens, ſuâ impuritate noceat cerebro: pars inferior rara eſt & laxa, ſpongiæ inſtar. Proceſſus mamillares ſunt nervi à cerebro ad os cribroſum propagati; in illâ parte quâ illi nervuli attingunt illud os, formantur duæ ſubſtantiæ carnoſæ mammarum papillis ſimiles, & ideò vocantur proceſſus mammillares. Quæritur ergo in quâ ex enumeratis partibus exerceatur actio potentiæ olfactivæ, ſive quod idem eſt, quodnam ſit organum odoratûs.

Notandum eſt 3. plurimas eſſe circa hanc difficultatem opiniones. Prima eſt Galeni aſſerentis organum olfactus eſſe in ventriculis cerebri. Secunda eſt quorumdam qui volunt odoratus organum eſſe tunicam, ſive membranam narium. Tertia eſt aliorum qui odoratus organum ſtatuunt in oſſe cribroſo. Quarta eſt quorundam qui docent organum odoratus eſſe in naribus ſive in quibuſdam fibris à baſe cerebri, ad nervos propagatis: hanc opinionem ſequitur ant. Le Grand; ait enim parte octava de homine art. 14. *Reſtat igitur ut olfactus organum, in naribus conſtituatur, hoc eſt tenuiſſimis quibuſdam fibris, à baſe*

à baſe cerebri, ad nervos propagatis, qui à nervis guſtui famulantibus nullatenus diſtinguntur, niſi quod extra cranum, quo cerebrum obtegitur, non trajiciuntur; & fibræ iis etiam ſubtiliores, delicatioreſqne ſint, quæ à ſapore afficiuntur. Quinta denique eſt aliorum qui dicunt organum odoratus eſſe conſtitutum in carunculis mammillaribus.

Dicendum eſt 1. contra Galenum, proprium olfactus organum non eſſe in ventriculis cerebri.

Prob. triplici ratione. 1. Quia voluptas aut dolor quē ex odore ſuavi, vel ingrato percipimus, non ſentitur à nobis in cerebro. 2 Quia cerebrum nullum ſenſum habet, ne quidem ſenſum tactus, ut docet Ariſt. lib. 2. De partibus animal. cap. 10. 3 Quia natura provida debebat ante cerebrum collocare odoratus organum, ut exploraret halitus odoriferos, antequam cerebrum attingerent.

Dicendum eſt 2. organum odoratus non eſſe membranam narium, neque os cribroſum, neque fibras, ut vult ant. Le Grand.

Prob. 1. illa membrana ad extimas naſi oras porrigitur & proinde in illis partibus odor perciperetur, quod tamen eſt contra experientiam; ergo &c. 2. Oſſa nullum ſenſum habent, ne quidem ſenſum tactus; ergo os cribroſum non eſt odoratus organum. 3. Non poteſt eſſe in fibris; quia illæ fibræ per nares ſunt ſparſæ, & proinde in naribus abſque reſpiratione perciperetur odor, tamen conſtat experientiâ, quod odor non percipitur niſi per reſpirationem, & in partibus interioribus naſi; ergo &c.

Dicendum eſt 3. organum odoratus eſſe proceſſus mammillares.

Prob. organum odoratus debet eſſe in potentiâ ad illud quod eſt odorabile in actu, ſi enim eſſet actu tale, non perciperet objectum, quia intus exiſtens prohibet extraneum: ſed odorabile eſt actu calidum & ſiccum; ergo organum olfactus debet eſſe humidum & frigidum, & proinde circa cerebrum, cum cerebrum inter omnes partes corporis ſit frigidius & humidius, medium autem per quod diffunditur odor, eſt aër, vel aqua.

Obj. 1. proceſſus mammillares ſunt ejuſdem ſubſtantiæ cum cerebro, & proinde cum cerebrum nullum ſenſum habeat, illi proceſſus mammillares nullum etiam poſſunt habere ſenſum. Præterea odor ſemper ſentiretur, quia ſemper aër ad cerebrum appellitur; & odoris corpuſcula ſemper aëri admiſcentur. Propter illas duas rationes putat ant. Le Grand odoratus organum non poſſe conſtitui in proceſſibus mammillaribus. *Non videtur*, inquit loco citato, *in iis poſitum eſſe olfactus organum: qui uterquè ille mammillaris proceſſus, portio eſt ipſius cerebri, & ex ipſius medulla conſtat: nullus autem medicorum adhuc cognovit cerebrum externi ſenſus organum eſſe. Præterea, ſi odorandi facultas in utroque illo proceſſu mammillari collocatur, quare odor non ſemper ſentitur? cum non deſit aëris ad cerebrum appulſus, & halitus odoratus aëri admiſceatur*; ergo proceſſus mammillares non ſunt organum odoratus.

Reſp. 1. cum R. P. Vincentio lib. 3. quæſt. 6 ſect. 1. quod *licet proceſſus mammillares*

aliquo modo cerebri ſubſtantiam referant; diverſam tamen naturam habent ſcilicet magis compactam calidam & ſiccam, atque adeo ſatis objecto nempe odori cognatam.

Reſp. 2. quod ſemper aliquid aëris ſubit proceſſus mammillares, & quod ſemper aëri ſunt intermixta aliqua corpuſcula. Sed falſum eſt quod odor ſit ſemper in illis corpuſculis, vel ſi ſit aliquis odor, eſt adeo debilis, ut non poſſit ſenſum efficere.

Obj. 2. plurima ſunt animalia quæ proceſſibus mammillaribus carent, & tamen odores perſentiunt: illi etiam proceſſus mammillares ſunt duo, & proinde eſſent duo ſubjecta, conſequenter duæ potentiæ odorativæ; ergo &c.

Reſp. 1. diſt. ant. in plurimis animalibus non ſunt proceſſus mammillares eodem modo diſpoſiti quo ſunt in homine, conc. non ſunt proceſſus mammillares ſecundum ſubſtantiam, neg. quia ſemper in illis animalibus eſt aliqua pars quæ gerit vices proceſſuum mammillarium, licet illa pars non ſit eodem modo diſpoſita, quia organum odoratus non eſt ſimile in omnibus animalibus, ſicut oculi, auriculæ & linguæ non habent in omnibus eaſdem diſpoſitiones.

Reſp. 2. diſt. ſecundam partem argumenti. Sunt duo proceſſus mammillares ſe habentes per modum unius, conc. ſunt duo proceſſus mammillares qui non ſe habeant per modum unius, neg. quia proceſſus mammillares uniuntur per nervos ratione quorum faciunt unicam potentiam.

ARTICULUS II.

De odore.

Contra Carteſium & Gaſſendum.

NOtandum eſt, quòd odor ſecundum peripateticos eſt ſecunda qualitas reſultans ex certo temperamento primarum qualitatum, ſiccitate prædominante humido; odor autem dicitur oriri ex primis qualitatibus, quæ ſolùm reperiuntur in mixtis, unde in elementis puris non reperitur odor; unde etiam illa qualitas non eſt productiva ſui ſimilis, & licet quando tanguntur corpora benè olentia, odor illorum corporum conſervetur in manibus, hoc non provenit ex eo quòd ſimimilem odorem producant; ſed quia partes ſubtiliores ex his corporibus emanantes ſe ſe inſinuant intra poros & in eis firmiter adhæreſcunt: dicitur etiam ſiccitatem prædominari humido, quia experientiâ conſtat res odoriferas magis redolere æſtivo tempore & in loco ſicco, unde regiones quæ producunt aromata, ſunt ſiccidiores. Licet tamen ſiccitas prædominetur, corpora benè olentia debent habere aliquid humoris, undè maximè ſiccca, ut cineres & ſaxa carent omni odore; licet etiam in quibuſdam odoriferis

prædominetur humidum, ut in aquâ roſaceâ, hoc provenit ex eo quod retinet aliquas exhalationes ſiccas in quibus continetur ille odor ſuaviſſimus: Carteſius verò & Gaſſendus docent, quòd odor non eſt forma accidentalis, ſed quòd conſiſtit in corpuſculis quæ componunt flores; & ita dicunt, quòd percipimus odorem, quia corpuſcula è floribus exeuntia odoratum noſtrum percutiunt & movent. Peripatetici in hoc conveniunt cum Carteſianis, quòd doceant, quòd è corporibus ſuaviſſimum odorem habentibus exeunt quædam corpuſcula quæ noſtrum odoratum tangunt: ſed in hoc differunt,quòd Carteſiani docent, quòd odor illorum corpuſculorum conſiſtit in illorum figurâ, & ita ſi illorum corpuſculorum figuræ ſint conformes poris nervorum quos ſubeunt, eos ſuavi titillatione movebunt, & erunt ſuaves odores,ſi verò ſint difformes poris nervorum,illos acri concuſſione agitabunt, & erunt odores inſuaves & acres: peripatetici verò docent, quòd illa corpuſcula habent odorem ſive formam aliquam accidentalem realiter ab illis diſtinctam.

Dicendum eſt contra Carteſium & Gaſſendum, odorem non conſiſtere in corpuſculorum figurâ.

Prob. cum omnia corpora habeant partes diverſis figuris conſtantes, haberent odorem: atqui falſum eſt, quòd omnia corpora habeant odorem) ut patet experientiâ;) ergo odor non conſiſtit in partium, vel corpuſculorum figurâ. Præterea ſequeretur, quòd omnia beneficio caloris decocta deberent ha-

bere gratum & ſuavem odorem: atqui falſum eſt, quòd omnia beneficio caloris decocta habeant gratum & ſuavem odorem; ergo odor non conſiſtit in partium figuris, Prob. ſequela, maj. illa habent odorem gratum & ſuavem quæ habent partes politas & leves: atqui omnia beneficio caloris decocta haberent partes politas & leves, quia cum ſecundum Carteſium calor conſiſtat in motu partium, calor concoquit carnes, quia carnium partes excitat & movet, & illæ partes excitatæ ſibi occurrentes atteruntur, & illâ attritione politæ & leves fiunt; ergo ſi odor conſiſteret in partium figuris, omnia beneficio caloris decocta deberent habere gratum & ſuavem odorem.

Obj. 1. Ariſt. q. 5. problematum & plurimis aliis in locis appellat odorem vaporem aut exhalationem : ſed per vaporem aut exhalationem poſſunt tantùm intelligi corpuſcula quæ exeunt ex corporibus odoriferis; ergo odor conſiſtit in corpuſculis diverſas figuras habentibus.

Reſp. diſt. auct. Ariſt. appellat odorem ſubjectivè ſumptum vaporem aut exhalationem, conc. odorem formaliter ſumptum, neg. quia quando Ariſt. dicit, quod odor eſt vapor aut exhalatio, non intelligit, quòd odor ſit ſolus vapor aut exhalatio : ſed intelligit, quòd odor ſubjectatur in illâ exhalatione, & odor in illâ exhalatione exiſtens ſæpè diffunditur per medium uſque ad olfactum & cerebrum.

Obj. 2. certum eſt, quòd aliqua ſunt corpora quæ nullum habent odorem, niſi quando

in vapores rediguntur ; ergo ſignum eſt, quòd odor conſiſtit in figuris corpuſculorum.

Reſp. neg. conſeq. quia non diſputatur inter Carteſianos & peripateticos an è corporibus odoriferis emanent aliqua corpuſcula ; in hoc enim conveniunt (ut dictum fuit) ſed dubitatur an odor illorum corpuſculorum conſiſtat in ſolâ figurâ , vel in aliquâ formâ accidentali diſtinctâ ab illis corpuſculis. Ita illud argumentum , nihil facit contra peripateticos : ſi verò quærat aliquis , cur illa corpora non poſſint emittere odorem , quin priùs emittant corpuſcula defferentia talem odorem, ratio eſt, quia odor eſt qualitas quæ facilè non ſe communicat omnibus ſubjectis, ſicut calor producitur in omnibus ſubjectis, & proindè corpus odoriferum debet emittere aliqua corpuſcula. Inde eſt , quòd aliqua corpora non habent odorem , niſi quando rediguntur in vapores , quia qualitas illorum corporum non poteſt communicari aëri, & cum illa corpora ſint nimis ſolida & indurata , ut non poſſint emittere corpuſcula , neceſſe eſt , ut per ignem redigantur in vapores.

Obj. 3. odor conſiſtit in partium figurâ , ſi corpora quorum partes mutant figuram, mutent etiam odorem : atqui illud ita contingit , ſiquidem quando v. g. putredo facta in vulnere fibri exponitur per plurimos dies ſoli in regione valdè calidâ , gratum & ſuavem effundit odorem , quæ anteà ingratum & moleſtum emittebat ; illud autem provenit ex eo quòd partes illius rei putridæ ſimul allidantur & mutent figuram ; ergo odor con-

ſiſtit in partium figurâ.

Reſp. neg. min. quia odor alicujus corporis non mutatur præcisè ex eo quòd partes illius corporis mutent figuram, ſed quia in eo corpore producitur qualitas diverſa ab illâ quæ antea erat, & ita exemplum à Roalto allatum nullum eſt, quia ubi ille affert exemplum à putredine illius animalis deſumptum non reflectit ſupra ejuſdem animalis carnem, quæ moleſtum & ingratum odorem acquirit, quando ſoli exponitur; & ideò dicendum, quòd ſi putredo illius animalis ſoli expoſita ſuaviſſimum acquirat odorem, illud non provenit ex eo quòd illius rei putridæ partes mutent figuram, cùm partes carnis ejuſdem animalis mutent figuram; ſiquidem per ſolis calorem ſunt in motu & ſe ſe atterunt, & tamen non ſuavem odorem acquirunt: illa autem qualitas iſto modo à ſole imprimitur, quia ſol expellendo humiditatem quæ eſt in tali putredine, ex illâ mutuâ pugnâ in quâ calor vincit, calor ita temperat qualitates, ut ſiccitas prædominetur, & ita reſultat odor; quia illâ putredo continebat corpuſcula maximè diſpoſita, ut per ſiccitatem fierent odorifera.

Obj. ult. conſtat experientiâ, quòd corpora odoriſera majorem emittunt odorem quando maximus æſtuat calor, quàm quando maximum rigeſcit frigus; ergo ſignum eſt, quòd odor conſiſtit in partium figuris. Prob conſeq. ideò major percipitur odor, quando maximus æſtuat calor, quam quando maximum rigeſcit frigus, quia calor ſuo motu avellit à corporibus odoriferis plura

corpuſcula quæ odoratus organum movent, & ſuis diverſis figuris majòrem cauſant odorem, frigus verò contrarium præſtat; ergo illud optimè probat, odorem conſiſtere in partium figuris.

Reſp. neg. conſeq. & ant. quia illud argumentum non probat odorem conſiſtere in partium figuris, ſed probat tantùm, quòd ut aliqua corpora odorifera emittant odorem, debent diffundere corpuſcula, quæ corpuſcula facilius ex illis corporibus exeunt quando maximus æſtuat calor, qnàm quando maximum rigeſcit frigus; ideò autem facilius corpuſcula odorem defferentia exeunt à corporibus, quando maximus æſtuat calor, quia calor facit, ut illorum corporum pori dilatentur, quibus poris apertis facilius incluſa intra poros corpuſcula exeunt; è contra nullus ferè ſentitur odor, quando maximum rigeſcit frigus, quia frigus conſtringit poros.

ARTICVLUS III.

De ſpeciebus pro odoratu neceſſariis.

Contra plurimos recentiores.

NOtannum eſt quod plurimi recentiores docent quod odor non diffunditur per ſpecies intentionales, ſed ſemper per aliqua corpuſcula. Hanc ſententiam præcipuè ſe-

quitur Hon. Fabri lib. enim 1. de ſaporibus propoſitione 66. ait quod *Odor ſemper in halitu, vel alio æquivalenti, diffunditur*, & propoſitione 70. dicit quod *odor non diffundit per medium ſpecies intentionales*. Tamen contra omnes illos Philoſophos.

Dicendum eſt odorem aliquando per medium diffundere ſpecies intentionales.

Prob. 1. ſenſatio odoris fit à loco remotiſſimo: atqui illud non ita contingeret, ſi odor ſemper deferretur per corpuſcula: quia impoſſibile eſt quòd corpuſcula odorem deferentia ad tantam diſtantiam diffundantur; ergo &c.

Hoc argumentum Hono. Fabri rejicit lib. 1. de Sap. & odor prop. 66. *Mirari*, inquit, *ſatis non poſſum; qua facilitate & qua ingenuâ ſimplicitate nonnulli ea pronuncient, quæ eâdem quoque facilitate, negari queunt; ſi enim illico hoc negem, quo argumento, qua experientia id probabunt, non eſt credibile* (inquiunt) *halitum tam longè lateque propagari; imo aliud credibile non eſt.*

Sed contra illum Philoſophum poteſt probari illum halitum non poſſe tam longè lateque propagari, cum validiſſimus ventorum impetus corpuſcula illa facile diſſiparet, nec permitteret ad tantam diſtantiam diffundi. Præterea illa corpuſcula per aërem diffuſa plurimis occurrerent corporibus quibus adhærerent firmiter & intra quorum poros ſe ſe inſinuarent, & proinde non poſſent ad maximam diſtantiam diffundi.

Prob. 2. res odorifera ſentitur intra aquam, quia piſces diu noctuque movētur ad queren-

dos cibos diſtantes, non alio ducti ſenſu, quam olfactu: atqui tunc res odorifera non ſentitur per corpuſcula quæ non poſſunt in aquas mergi; ergo res odorifera ſentitur tunc per ſpecies intentionales.

Hanc rationem rejicit Honoratus Fabri loco jam citato prop. 68. his verbis *Dices halitum per aquam diffundi non poſſe, nugaris, ut puto; nunquid enim ex liquore odorato halitus aſcendit.*

Sed dicendum quod illa exhalatio poteſt quidem ex aqua aſcendere, non verò in aquas mergi, quia ut ait R. P. Vincentius lib. 3. q. 3. ſect. 3. *Cum talis exhalatio ſit ignea & levis, ſurſum aſcendit, non vero in aquas mergitur.*

Prob. 3. odor, qui eſt intra ſpecies Euchariſticas, non percipitur per corpuſcula, cum ibi nulla ſint; ergo percipitur per ſpecies intentionales.

ARTICULUS IV.

De quibuſdam problematis ad odoratum ſpectantibus.

Dicendum eſt 1. olfactum hominis eſſe hebetiorem olfactu multorum animalium.

Prob. & expl. concl. conſtat bruta plurima longiori ſpatio ſentire; conſtat etiam plures odorum differentias à brutis percipi,

quas homo non percipit; v. g. canis heri, coturnicum, aliarumque ferarum veſtigia olfactu dignoſcit, non autem homo; docet verò Ariſt. illud provenire ex eo quòd organum odoratûs non ſit tam perfectum in homine quam in brutis; non eſt autem tam perfectum in homine, quia nimiâ humiditate & frigiditate perfunditur à cerebro quod in homine humidius & frigidius eſt: propter illam igitur humiditatem & frigiditatem contingit, ut non poſſit pati, niſi à forti, ſicco, & calido; ideò remiſſos odores non percipit quos canis & alia animalia percipiunt: vel quia ſpecies quæ recipiuntur in hominis odoratu, minus fortiter imprimuntur & minùs olfactum ſollicitant, quia nimiò humoris fluxu ſopiuntur, & aliquando penitùs obruuntur: unde Albertus in ſumma de homine tract. de odore ait, quòd *vix umquam ſomnia de odore habemus, quia odorum ſpecies labiles ſunt, nec firmiter inhærent.*

Dicendum eſt 2. flores ſuavius olere è loco aliquantulum remoto, quam è propinquo.

Prob. & exp. quia multæ particulæ terreſtres & craſſiores admiſcentur cum halitu odorem deferente, & florum odores impuros reddunt, ſed illæ particulæ paulatim diſſipantur, & ita ad aliquam diſtantiam odor ſincerior & defæcatior evadit.

Dicendum eſt 3. quod ſudor capitis non fætet ut ſudor aliarum partium humani corporis.

Prob. & explicatur ſic illud problema ab

Honrat

Honorato Fabri ; dicit enim quod *cum ſudor ex ſanguine fluat ; eſt enim tenuiſſimi humoris portio , quæ per exigua arteriarum orificia , calore tantulum laxata , effluit ; certe cum ſanguis in capite optime purgetur , tot ſcilicet repetitis percolationibus , quid mirum , ſi non ita putreſcat ; omnis autem fætor à putredine. Præterea laxiſſimi ſunt capitis pori , hinc , quidquid materiæ computreſceret , in pilos abit ; igitur humoris portio , quæ per ſudorem effluit , ab iis corpuſculis libera , quæ tetrum odorem conciliarent , non fætet ; quod autem hujuſmodi ſuccus qui in pilos abit , tetrum odorem conciliet, vel ex eo manifeſtum eſt , quod pili uſti tetrum odorem exhalent.*

Dicendum eſt 4. corpora non tam ſuaviter olere hyberno tempore.

Prob. & exp. problema duplici ratione. 1. Quia per hyemem frigore contrahuntur corporum pori ; igitur minus halitus erumpit. 2. Quia denſiorem aëra ſubtilior halitus dividere non poteſt.

Dicendum eſt 5. quod illi qui ſagaci pollent odoratu , ita ut è maxima diſtantiâ odores ſentiant , rudes & inepti ſunt : & quod illi , qui olfactu non excellunt , ingenioſi ſunt.

Prob. & exp. problema 1. qui ſagaci pollent odoratu inepti ſunt , quia in illis cerebrum maximo calore viget ob ſpiritus in eo exiſtentes : ille autem nimius calor facit ut ſpiritus operibus mentis inſervientes', turbulento motu agitentur , & ita inepti fiant ad mentis opera. 2. Qui olfactu non excellunt,

ingenioſi ſunt, quia ij, quibus cerebrum probè purgatur, ejecta ſcilicet ſuperflua & excrementitia pituita, haud dubie ingenio valent, id eſt organum, vel cerebrum expeditius habent; ad eos ſcilicet uſus, quos ingenii facultas deſiderat: atqui ij, quibus cerebrum probè purgatur, hebetiore olfactu pollent, propter illam pituitæ acceſſionem, quæ naribus illabitur; ergo &c.

QUÆSTIO VI.

De auditu.

UT omnia quæ ad auditum ſpectant, cognoſcantur; inquirendum eſt auditus organum: examinanda eſt natura & productio ſoni: quærendum eſt denique an ſpecies ſint neceſſariæ pro auditu.

ARTICULUS I.

De organo auditus.

NOtandum eſt .1. auditum eſſe potentiam organicam animæ ſenſitivæ quæ

verſatur circa ſonum, tanquam circa objectum proprium, & per hoc diſtinguitur ab aliis potentiis.

Notandum eſt 2. quòd organum facultatis auditivæ habet partem internam & externam. Pars externa conſiſtit in auriculis: pars verò interna habet quatuor meatus, nempè auditorium, Cocleam, labyrinthum, & foramen cæcum. Primus meatus eſt ille qui extrinſecus patet, tortuoſus & obliquus, ut dum aër ſe in organum paulatim inſinuat, in illis obliquis flexibus aliquid frigiditatis deponat, in fine illius meatus reperitur membrana quædam tenuis, ſicca & tenſa, ſicut membrana tympani, & ideò illa membrana dicitur auris tympanum. Hæc autem membrana ſi craſſior fuerit, & denſior, ſurditatem facit incurabilem; ſi humorem habeat, auditum gravem & tardum, & aurium tinnitum: in tympano duæ ſunt feneſtellæ quibus aër ſecundum meatum ſubeat. Poſt illam membranam ſequitur ſecundus meatus qui dicitur coclea; in illo meatu continetur aliqua ſubſtantia ſubtilis quæ vocatur aër innatus, quia illum ab initio natura tradit auditui: in illo etiam meatu ſunt tria oſſicula ratione figuræ ſic dicta, ſcilicet malleolus, incus, ſtapes, ex illis manat cordula tympano attenſa per quam ejuſmodi oſſicula eidem tympano alligantur. Tertius meatus dicitur labyrinthus, quia varios habet amfractus ad ſoni conſervationem. Quartus & ultimus meatus dicitur foramen cæcum, ultra quem meatum apparet nervus auditorius à cerebro proveniens, per quem ſpiritus animales in ſenſo-

rium auditûs influunt. Quæritur ergo in quâ ex illis omnibus partibus exerceatur auditio, ſeu potentia auditiva reſideat.

Dicendum eſt organum auditus eſſe ſubſtantiam aliquam aeream intra tympanum incluſam cum nervis auditoriis.

Prob. cùm organum potentiæ auditivæ debeat recipere ſpecies intentionales ab objectis per medium, organum auditus ponitur in illâ ſubſtantiâ aëreâ intra tympanum incluſâ, cùm ſit valdè conformis medio in quo producitur ſonus, & medio per quod deferuntur ſpecies ad ſenſum. Auditus etiam ponitur in nervis auditoriis qui uniunt utramque ſubſtantiam aëream intra tympanum incluſam.

ARTICULUS II.

De ſono.

CONTRA CARTESIANOS.

NOtandum eſt 1. quòd ſonus ſecundum peripateticos, eſt qualitas ſenſibilis reſultans & proveniẽs ex forti colliſione & percuſſione corporum ſonantium, & reſilientia medii. 1. Dicitur qualitas ſenſibilis, quia eſt objectum proprium alicujus ſenſus, nec eſt motus, ſed cauſatur à motu; nec eſt qualitas orta à primis, quia omnis qualitas ſenſibilis non provenit ex primis, ſicut dia-

phaneitas & denſitas; nec denique eſt qualitas tranſiens, propriè & formaliter, quia habet eſſe in ſtatu permanenti, ſed quia cauſatur dependenter ab aliquo tranſeunti: ſcilicet à motu. 2. Dicitur reſultare ex forti & violentâ percuſſione, quia oportet ut corpus percuſſum reſiſtat & non facilè cedat: nec ſequitur quòd productio ſoni ſit violenta, quia ille motus eſt tantùm violentus reſpectu corporis percuſſi, & naturalis reſpectu productionis ſoni. 3. Dicitur oriri ex percuſſione corporum, quia ut producatur ſonus, requiruntur tria corpora, ſcilicet percutiens quod eſt cauſa efficiens, percuſſum, & medium reſiliens quod eſt cauſa materialis & receptiva ſoni, aliquando tamen corpus percuſſum & medium reſiliens ſunt idem, ut patet in ſono excitato in aëre à vento, à bombardâ vel à virgâ, quia una pars aëris frangit & allidit aliam.

Notandum eſt 1. juxta Carteſianos, ſonum nihil aliud eſſe quam motum aëris tremulum & undulationi perſimilem. Ut autem clarius ſoni naturam explicent Carteſiani, ipſius ſoni productionem exponunt. Sic clarè ſoni productionem (juxta Carteſianorum mentem) explicat du Hamel lib. 1. de corporum affectionibus cap. 10. S*onus itaque gignitur non modò ex duorum corporum ſolidorum, & aëris interjecti colliſione, ſed ex ſolius aëris reciproco motu ab alio corpore procreato. Eliſus aër, & ſubita diviſione fractus ſtatim denſatur, tum priſtinum ſtatum recuperat. Sed interim pulſus alium pellit, qui motu elaſtico ſeſe reſtituit: & ita undulatim, at-*

que in orbem aër diffunditur: non aliter atque aqua injecto lapillo varios delineat circulos. Dum enim aqua injectu lapidis dividitur, & recedere compellitur, obſtat circumfuſa, nec locus eſt penetrationi; neceſſe adeò eſt ut circa lapidem intumeſcat. Sed ſtatim proprio pondere recidit, atque ob impetum acquiſitum inſtar funependuli aliquantò longiùs procurrit, & infra totius aquæ ſuperficiem deſcendit, idque repetitis aliquot vicibus. Tum verò quæ proxima eſt, nonnihil aſſurgit, & ſecundum circulum itidem efficit, cumque labitur, aliam ſibi proximam ſubinde attollit, & ita deinceps donec marceſcente impetu, vix tantillum poſſit aſſurgere, & ſibi finitimam lapſu ſuo propellere. Hæc autem circulorum continuata ſeries ex loco quem lapillus implevit, deſcribitur. Tum enim aqua circumfuſa ſubitò confluit, quò foraminis à lapide relicti locum impleat, atque omnes aquæ partes ex communi centro, æquabili motu velut junctis viribus reſiliunt: unde aqua in orbem propellitur, cujuſcumqne ſit figuræ lapillus, qui hoc vulnus aquæ inflixit. Non diſſimili inquam ratione, ut ſcitè explicat Maignanus, diviſus aër aliam ſibi finitimum ſimili plagâ afficit, hic alium, & ita porro. Quique intra illum orbem continentur, ex aëris undulatione, & tremulo motu ſonum percipiunt; ſunt enim aëris vibrationes primæ colliſioni conſimiles.

Dicendum eſt contra Carteſianos, ſonum non eſſe tantum motum corporum ſeſe collidentium.

Prob. 1. ſæpe ſonus auditur è loco quo mo-

tus non ſubit, alioquin, dum tintinnabulum à leuca, vel à majori diſtantia auditur, deberet totus aër intermedius agitari, quod quidem non poteſt dici; ergo ſonus non eſt tantum motus.

Reſpondent primæ difficultati Carteſiani & dicunt quod tintinnabulum totum aërem agitat, ſicut lapidis injectus totam fluminis aquam movet.

Sed contra: ſi tintinnabulum aërem agitaret, ſicut lapidis injectus totam fluminis aquam movet, ſequeretur quod illa aëris agitatio undulatione quadam diffunderetur: atqui illa aëris agitatio non poteſt undulatione quadam diffundi, quia illa undulatio aëris, ejuſdem ſoni perceptionem contunderet, cum ejuſdem ſoni infiniti velut ictus auris organum percellerent: ut lapidis injectu varii circuli ad littus appellunt. Præterea fateor quidem, quod tintinnabulum movet aërem, ſed non poteſt movere ad tantam diſtantiam è quâ aliquando auditur ſonus: ſicut lapis non poteſt movere aquam ad maximam diſtantiam; ſi enim vaſtiſſimum eſſet flumen, hi circuli ab injectu fluminis procreati, ad fluminis ripas non pervenirent.

Prob. 2. ſonus procul editus auditur in cubiculis undique clauſis, quæ experientia certe denotat ſonum non eſſe motum, ergo &c.

Reſpondent Carteſiani, & dicunt quod poſito quod cubiculum eſſet optime clauſum nullus audiretur ſonus.

Sed contra: auditur ſonus quò nullomodo poteſt ſubire motus, nam piſces in ſtagnis,

immotâ aquâ, ſtrepitum foris editum audiunt; ergo in cubiculo optimè clauſo poteſt audiri ſonus.

Reſpondent Carteſiani, & dicunt quod aqua in ſtagnis movetur ab aëre, & illud duplici modo probant. 1. Quia mallei ictus incudem maximam movet; ita ut granum milij incudi ſuperpoſitum ſæpe ſaltitet, locumque mutet ad unum dumtaxat mallei ictum; ergo aër poteſt aquam movere. 2. Quia conſtat experientia quod tormentorum & campanarum ſoni longe diſtinctiores percipiuntur propè fluminis ripas, quam ubi à flumine recedimus; atqui illa experientia provenit ex eo quod aër ſuum motum communicet aquæ, ita ut partes aquæ denſiores & rigidiores ſemel motæ, ſuum impetum aliis communicent; ergo &c.

Sed contra primam rationem dico quòd mallei ictus poteſt totam incudem movere ratione continuitatis & ſoliditatis partium, & ideo cum aqua non habeat partes adeo ſolidas, aër motus non poteſt movere totam aquam; poteſt quidem movere quaſdam exteriores partes aquæ, non verò profundiores, & ita piſces tantiſper latentes ſub aquis non poſſent audire ſonum foris editum.

Contra ſecundam rationem dico quod illa experientia non probat aërem motum movere partes aquæ ad maximam diſtantiam: ideo enim ſonus longius & diſtinctius auditur in locis ubi ſunt flumina, quia ubi ſunt flumina, plerumque ſunt cavitates ab aſſiduo irrumpentium aquarum impetu efformatæ: in illis autem cavitatibus ſonus ſæpe ſæpius reflecti-

tur, & ex illis repetitis reflexionibus ſonus gravior evadit, longiuſque auditur.

Prob. 3. ſonus diſtinguitur à motu; ergo &c. Prob. ant. ſonus ſeparatur à motu: ubi enim eſt motus, ibi non eſt ſonus, in cœlis enim reperitur motus abſque ullo ſono, ut communis habet opinio contra Pytagoreos; ergo ſonus diſtinguitur à motu.

Reſpondent Carteſiani quod motus non conſiſtit in quocumque motu, ſed tantum in motu tremulo & reciproco, & cum talis motus tremulus non reperiatur in cœlis, poteſt in illis eſſe motus ſine ſono.

Sed contra: atqui ſonus non poteſt etiam conſiſtere in motu tremulo & reciproco, quia partes tintinnabuli deberent illo motu tremulo & reciproco moveri, priuſquam talem motũ aëri cõmunicarent: atqui partes tintinnabuli nõ poſſunt illo motu moveri; ergo &c. Prob. min. partes tintinnabuli moveri motu tremulo & reciproco, eſt partes tintinnabuli à ſuo cẽtro recedere & mox ad ſuum centrũ accedere: atqui partes tintinnabuli nõ poſſunt à ſuo centro recedere & mox ad ſuum centrum accedere, quia ſic quoties pulſaretur tintinnabulum, toties ſuam mutaret figuram. Licet illud abſurdum & inauditum videatur, à Carteſianis tamen conceditur. Dum tintinnabulum inquiunt, pulſatur, mox partes à centro recedunt & ad centrum eodem inſtanti ſæpe ſæpius & repetitis vicibus accedunt; ita ut priuſquam partes ad priſtinum ſtatum & locum reſtituantur, tintinnabulum modo figuram ovalem induit, modoque rotundam; ergo partes tintinnabuli non poſſunt moveri

motu tremulo & reciproco.

Prob. 4. ſonus eſt ſenſibile proprium, ita ut à ſolo auditu percipiatur: motus vero eſt ſenſibile commune, & à pluribus ſenſibus percipitur; ergo ſonus non poteſt eſſe idem cum motu. Præterea motus & ſonus habent differentias omnino diverſas. Nam motus dicitur tardus, velox, non autem ſonus: contra verò ſonus dicitur gravis, acutus &c. non autem motus.

Obj. 1. Ariſt. plurimis in locis aſſerit ſonum eſſe motum, ſiquidem lib. 2. de anima cap. 8. tex. 85. motum definit his verbis, *Sonus eſt motus ejus quod moveri poteſt*; & eodem cap. 87. *Sonus eſt motio quædam aëris*; ergo ſonus non diſtinguitur à motu,

Reſp. diſt. auth. Ariſt. ſonus cauſaliter ſumptus, eſt motus, con. formaliter ſumptus, neg. quia ut, inquit, S. Thom. definitiones prædictæ ſunt cauſales, non verò formales, hoc eſt traditæ per cauſam, non verò per genus & differentiam; ita ut ſenſus ſit, ſonus eſt aliquid cauſatum à motu.

Obj. 2. ſonus non eſt qualitas, cùm non ſit una ex primis, neque una ex ſecundis, cùm non oriatur ex commixtione primarum.

Reſp. quòd ſonus non eſt quidem una ex primis qualitatibus, neque ſecunda quæ oriatur ex commixtione primarum; ſiquidem plurimæ ſunt aliæ qualitates ſecundæ quæ non oriuntur ex primis, ut potentiæ, habitus, & diaphaneitas.

Obj. 3. ubi certus ponitur motus, ſtatim auditur ſonus: ſufficit enim, quod noſtra au-

ris moveatur, ut maximum percipiamus ſonum, ſiquidem experimur quod dum digito internæ auris partes fricantur & moventur, tunc magnus percipitur ſonus, & tunc tantùm eſt motus, quia ille motus non poteſt producere aliquid à ſe diſtinctum, nempe ſonum: ſiquidem motus aliarum partium corporis non producit ſonum, & proinde interiores auris partes motæ non poſſunt producere aliquid diſtinctum à ſe; ergo ſonus nihil aliud eſt quam motus.

Reſp. quod motus in interioribus auris partibus procreatus, producit aliquam qualitatem quæ à potentia auditiva percipitur: fateor quidem quod motus in aliis corporis partibus productus, non producit ſonum, quia ille partium motus minimus eſt, & cum longe diſtet ab auditu, non poteſt producere ſonum qui à potentia auditiva percipiatur. Sed cum motus in interioribus auris partibus productus, non maxime diſtet à potentia auditiva, poteſt ipſe motus producere ſonum qui ab ipſa potentia percipiatur.

Obj. 4. conſtat experientia quod ſi quis duobus digitis utramque aurem obturet, & mox aliis duobus digitis ſuſpenſam teneat focariam forcipem Gallicè, ***pincettes qui ſervent à attiſer le feu***; forcipe percutiat ligni focarii fulcrum Gallicè ***chenet***, conſtat inquam experientia quod tunc maximus, & graviſſimus auditur ſonus: atqui ille ſonus non poteſt provenire niſi à motu; ergo &c.

Reſp. neg. min. quia ille motus à forcipe per manus tranſit ad organum auditus, &

graviter percutit auris timpanum, ex qua gravi percuſſione oritur aliquid diſtinctum à motu, quod à potentia auditiva percipitur? Cur autem gravis ſonus auditur obturatis auribus, quia tunc motus qui à forcipe per manus tranſit ad organum auditus, ibique incluſus ſæpe ſæpius reflectitur, & ex illis repetitis aëris agitati reflexionibus oritur graviſſimus ille ſonus.

ARTICULUS III.

De ſono.

Contra Gassendum.

Notandum eſt quod ſecundum Gaſſendum ſonus nihil aliud eſt quàm corpuſcula certæ, & determinatæ figuræ quæ maximâ velocitate tranſlata à corpore reſonante ad aurem, percutiunt organum, & faciunt ſenſationem quæ vocatur auditio; & ita putant Gaſſendi diſcipuli quòd ſicuti diverſi guſtus, & diverſi odores conſiſtunt in verſâ figurâ corpuſculorum quæ tangunt organum, ita diverſi ſyllabarum ſoni nihil aliud ſunt quàm aëris partes quæ propter diverſas figuras quas habent, diverſo modo aurem percutiunt; ita ut quando quis loquitur v. g. & pronuntiat iſtam ſyllabam *ba*, tunc ex loquentis ore non exeunt plurimæ aëris partes, ſed una tantùm aëris pars quæ poſtea

poſtea dividitur in infinitas aëris partes eodem modo figuratas, ſive in infinitas voces, & ita vox eadem nuſquam auditur ab omnibus.

Dicendum eſt contra Gaſſendum, ſonum non conſiſtere in corpuſculis certæ & determinatæ figuræ.

Prob. ideò ſonus, ex Gaſſendo conſiſtit in aëris partibus diverſas figuras habentibus, quia putat ſonorum diverſitatem non poſſe explicari ſine diverſis partium figuris: atqui talis ſonorum diverſitas poteſt alio modo explicari; ideò enim ſoni ſunt diverſi, quia proveniunt à diverſis corporibus, & à diverſo motu; ergo ſonus non poteſt conſiſtere in corpuſculis certæ & determinatæ figuræ; quæ maximâ velocitate tranſlata à corpore reſonante aurem percutiunt, & faciunt ſenſationem.

Prob. 2. diverſitas quæ reperitur inter iſtas duas ſyllabas, *ba* & *be* non poteſt provenire àdiverſis figuris aëris qui ex hominis loquentis ore exit, alioquin pſittacus non poſſet has duas proferre ſyllabas, quia cum os pſittaci non ſit eodem modo diſpoſitum, ac os hominis, non poteſt eandem aëri tribuere figuram: atqui certum eſt quod pſittacus has duas ſyllabas profert eodem ferè modo quo homines proferunt; ergo &c.

Prob. 3. ex opinione Gaſſendi explicantis Epicuri ſententiam, una dumtaxat aëris pars ex hominis loquentis ore exit: atqui illa ſuppoſitio non poteſt admitti: *Quî enim,* ait Plutarchus, *fieri poteſt, ut exigua aëris fruſtula theatrum compleant aliquot hominum*

millibus refertum; ergo &c.

Reſpondet huic objectioni Gaſſendus his verbis pag. 278. *Sed ut videmus puſillum aquæ fullonis ore contentæ ſpatium ſatis magnum aſpergine ſuâ complere; ita videtur dici poſſe aëris puſillum aſpergine veluti ſuâ complere ſpatium longè diffuſius. Similitudo certè valet, quod quemadmodum quantò guttullæ ſunt fullonis ori propiores, atque adeò confertiores, tantò madefaciunt copioſius; ita & voculæ, quantò ab ore loquentis vicinius abſunt, & crebriores proinde ſunt, tantò auditum magis feriunt, fitque vehementior & diſtinctior auditio. Concipiendum nimirum eſt unam eſſe quaſi totalem, ſeu mavis, generalem vocem quæ ab ore emittitur, ſed quæ diſſiliat tamen in voculas innumeras inter ſe perinde, ac ſunt illæ aquæ guttæ conſimiles, qua aliæ aliæque ab aliis, aliiſque excipiantur auribus; unde & eveniat ut quemadmodum proportione dictum eſt de viſu, nulli duo auditores, eandem individuè ſimpliciterque vocem audiant, & videantur tamen dicanturque eandem audire propter ſimilitudinem, ac veluti originem ex eadem totali & generali voce; quemadmodum illi dicuntur eandem aquam bibere, qui bibunt ex eodem flumine, aut fonte.*

Sed contra. Gaſſendus in hâc reſponſione plurima docet quæ facilè poſſunt rejici. 1. Docet quod vox ſe habet eodem modo, quo aqua fullonis ore contenta. 2. Docet quod vox quæ ab ore exit dividitur in plurimas voculas ejuſdem figuræ. 3. Quod illæ voculæ per aërem diffuſæ ſemper eandem fi-

guram ſervant: arqui illa tria poſſunt facile rejici. 1. Similitudo ex fullone deſumpta non valet,quia inde ſequeretur quod vox non poſſet à plurimis ſimul audiri, ſicut enim aqua quæ in fullonis ore continetur, non poteſt in tot dividi guttulas, ut poſſit plurimos ſimul madefacere: ita vox non poteſt in tot dividi partes quæ poſſint plurimorum aures ſimul percellere. 2. Impoſſibile eſt quod vox dividatur in plurimas partes ejuſdem figuræ: ſicut impoſſibile eſt quod ſtatua quæ contra parietem maximo impetu alliditur, dividatur in plurimas alias ſtatuas ejuſdem figuræ: ſicut etiam impoſſibile eſt quod corpus rotundum totaliter dividatur in plurima minora corpora pariter rotunda, poteſt quidem corpus quadratum in plurima alia corpora quadrata dividi, ſed ad hanc diviſionem maxima requiritur induſtria, maximuſque labor impendi debet. 3, Licet vox ab ore loquentis exiens, in plurimas ejuſdem figuræ voculas poſſet dividi, tamen illæ voculæ per aërem difuſæ, non poſſent eam ſervare figuram: quia aër induit ſemper figuram loci per quem tranſit; aër ergo qui ab ore loquentis exit, figuram, quam ab ore ſumpſerat, amittit, & figuram aëris cum quo commiſcetur, induit, ſicut guttulæ aquæ cadentis rotundæ ſuam amittunt figuram, ubi cum altera aqua commiſcentur.

ARTICULUS IV.

De ſpeciebus pro auditu neceſſariis.

Dicendum eſt dari ſpecies intentionales pro auditu.

Prob. 1. ſonus ſemper realiter ad aures uſque non propagatur, quia (ut jam dictum fuit) in cubiculo undique clauſo exiſtentes percipiunt ſonum foris editum, & tamen huc non poteſt ſubire motus; ergo tunc ſonus propagatur per ſpecies.

Prob. 2. conſtat experientiâ quòd ſurdaſtris maximè inſervit tubus auricularis, ad modum infundibuli formatus: ſicuti ad videndûm acutius, multum inſerviunt ocularia concava: atqui illa experientia probat ſonum propagari per ſpecies; ideo enim tubus auricularis multum inſervit, quia auribus admotus ex parte anguſtiori, magnam ſpecierum copiam ex parte latiori haurit, quæ in anguſtiori unitæ, fortius immutant ſenſorium, & objectum ſonans exactius auditui repræſentant; ergo tunc ſonus propagatur per ſpecies.

Prop. 3. ſonus non poteſt percipi per ſeipſum; ergo percipitur per ſpecies intentionales, prob. ant. ſi ſonus per ſeipſum percipiatur; vel idem numero ſonus ad aures pertingit, qui ex prima aëris colliſione ad corpora ſonantia productus eſt, vel alius ab illo à pri-

mo productus, ita ut ſonus propagaretur eodem modo quo calor, frigus, & ſimiles qualitates: atqui neutrum poteſt dici; primum quidem non poteſt dici, quia ut idem numero ſonus ab omnibus perciperetur, deberet eadem numero pars aëris, in qua primò ſonus productus eſt, ad omnium aures pertingere: atqui incredibile eſt quod eadem numero pars aëris, poſſit ſimul ad omnium aures pertingere; ergo ſi ſonus per ſeipſum perciperetur, non poſſet percipi idem numero ſonus, qui ex prima aëris colliſione ad corpora ſonantia productus eſt: ſecundum etiam non poteſt dici, quia ſonus primo productus non poteſt alium producere, & quia etiam ſolus ille perciperetur ſonus, qui in ſenſorio exiſteret, non vero qui eſſet in aëre primum colliſo, & ita omnes eundem ſonum non perciperent: quod tamen falſum eſſe conſtat.

Obj. 1. à plurimis percipitur idem ſpecie tantum ſonus: illud docet Ariſt. in lib. de ſenſu & ſenſibili cap. 6. ergo ſonus percipitur per ſeipſum, non vero per ſpecies.

Reſp. diſt. ant. percipitur idem ſpecie ſonus per accidens, conc. per ſe, neg. quia poteſt fieri per aliquod accidens quod idem numero ſonus ab omnibus non percipiatur; quando enim ſonus in aliqua aëris parte producitur, poteſt fieri ut illa aëris pars in plurimas alias particulas flante vento dividatur, & ita ſonus ſimul cùm aëre dividitur. Et ſic diviſus ad aures præſentium defertur, aut ſi per ſe non deferatur, immittit diverſas ſpecies ab illis diverſis particulis ad aures ſingulorum.

ARTICULUS V.

Vtrùm ſonus recipiatur in corporibus colliſis, ſive ſonantibus; an in ſolo corpore intermedio.

Dicendum eſt ſonum non ſubjectari in corporibus colliſis, ſive ſonantibus, ſed in corpore intermedio.

Prob. ſi ſonus reciperetur in corporibus ſonantibus, vel eſſet in uno tantùm, vel in utroque: non poteſt dici quod ſit in uno tantùm, quia non eſt major ratio de uno quàm de alio, præcipuè ſi corpora ſonantia ſint ejuſdem rationis, ut cùm tintinnabulum alliditur ad tintinnabulum, vel manus ad manum: nec poteſt recipi in utroque ſimul, quia ſonus eſt unum accidens, & proinde non poteſt eſſe ſimul in duplici ſubjecto, cùm accidens individuetur à ſubjecto, nec etiam ſucceſſivè, quia accidens non tranſit de ſubjecto in ſubjectum; ergo ſonus ſubjectatur in corpore intermedio.

Obj. 1. pro diverſitate corporum ſe collidentium cauſatur diverſus ſonus, v. g. certum eſt quòd quandò duæ tabulæ ligneæ ſe collidunt, producitur ſonus diverſus ab illo qui efficitur, quando duæ tabulæ lapideæ ſe collidunt, etiam ſi illa diverſa corpora æquali vehementiâ collidantur: atqui illa diver-

ſitas ſoni denotat ſonum recipi in corporibus ſonantibus ; ergo ſonus ſubjectatur in corporibus ſonantibus , prob. min. talis ſoni diverſitas non poteſt provenire ab aëre, quia cùm ſupponatur eadem aëris collìſio , deberet produci idem ſonus ; ergo talis diverſitas debet provenire ex eo quòd ſonus ſubjectetur in corporibus ſonantibus , & ſe allidentibus.

Reſp. neg. min. & ant. quia illa diverſitas ſoni provenit ab aëre , qui licet eodem modo videatur allidi propter æqualem vehementiam illorum diverſorum corporum quæ colliduntur, tamen aër diverſimodè frangitur ex hujuſmodi corporum diverſitate , puta duritie , & aſperitate ; & ita illa diverſa aëris fractio & alliſio à diverſitate corporum proveniens , facit diverſum ſonum.

Obj. 2. conſtat experientiâ quòd ſi in tintinnabulo ſit etiam minima rimula , tunc raucum & ingratum ſonum edit : ſed ille raucus & ingratus ſonus denotat quod ſonus recipitur in ipſo tintinnabulo ; ergo ſonus recipitur in corporibus ſonantibus. Prob. min. ſi ſonus reciperetur in aëre , deberet ſemper eſſe idem ſonus, cùm aër ſemper æqualiter frangatur ; ergo illud denotat ſonum recipi in tintinnabulo.

Reſp. neg. min. & ant. quia falſum eſt quòd aër eodem modo frangatur,quando illa rimula in campana exiſtit,ſiquidẽ illa rimula recẽter facta facit ut aër in poris campanæ incluſus non ſit continuus , & ita ſonus qui ſubjectatur in illo aëre, minus unus eſt, & proinde non adeò fortis & acutus ; ſonus autem om-

ninò raucus evadit, quando aëri patet aditus in prædictâ rimulâ ob inæquales & aſperas metalli partes in illâ rimulâ occurrentes.

Obj. 3. & ult. objectum viſus habet in ſe colorem quo videtur; ergo objectum auditus habet in ſe ſonum quo percipitur: ſed objectum auditus ſunt corpora ſonantia, v. g. tintinnabulum, percepto quippe ſono percipitur corpus ſonans, & dignoſcitur utrum ſit tintinnabulum, vel lapis; ergo ſonus ſubjectatur in corporibus ſonantibus & ſe collidentibus.

Reſp. neg. 1. conſ. & parit. ratio diſparitatis eſt, quia objecta propria aliorum ſenſuum habent eſſe fixum in objecto materiali, ſonus verò non habet eſſe fixum ratione motus quo mediante producitur, & ideò debet recipi in corpore in quo fit, non verò in corporibus ſonantibus à quibus producitur. Præterea falſum eſt tintinnabulum percipi ab auditu, ſed percepto ab auditu ſono excitantur ſpecies illius in ſenſu interno qui judicat de corpore ſonante.

ARTICULUS VI.

Vtrùm ſolus aër ſit ſubjectum capax ſoni ſecundum eſſe reale ſpectati.

Dicendum eſt ſolum aërem eſſe ſubjectum ſoni ſecundum eſſe reale ſpectati.

Prob.experientiâ conſtat quod plures piſces natantes ſub aquis, quamvis ipſi magni ſint, & veloci motu ferantur, nullum tamen edunt ſonum, ſed ubi perveniunt ad ſuperficiem aquæ, aërem contingunt, cauſant ſonum; atqui illud nõ provenit niſi defectu ſolius aëris qui eſt tantùm ſubjectum capax ad recipiendum ſonum ſecundum eſſe reale ſpectatum; ergo ſolus aër eſt ſubjectum ſoni ſecundum eſſe reale ſpectati. Prob. min. illud provenit ex defectu ſolius aëris, ſi cætera tunc ponantur neceſſaria ad productionem ſoni: atqui tunc cætera ponuntur neceſſaria ad productionem ſoni, nam piſces habent ſoliditatem ſufficientem ad percutiendum, & aqua habet denſitatem ſufficientem ad reſiſtendum percuſſioni; ergo illud tantùm provenit ex defectu ſolius aëris. Si verò Ariſt. & D. Thom. videantur docere quòd ſonus recipitur in aquâ, dicendum quod ſonus ſecundum eſſe intentionale ſpectatus recipitur in aquâ, non verò ſecundum eſſe reale conſideratus, quia aqua non eſt medium in quo generatur ſonus, ſed tantum in quo auditur.

ARTICULUS VII.

Quodnam ſit ſubjectum ſoni ſecundum eſſe intentionale ſpectati.

DIcendum eſt quodcumque corpus ſive ſit fluidum, ſive ſit ſolidum eſſe ſubjectum ſoni ſecundum eſſe intentionale ſpectati.

Prob. illud poteſt eſſe ſubjectum ſoni ſecundum eſſe intentionale ſpectati quod poteſt eſſe medium per quod deferantur ſpecies ſoni: atqui quodcumque corpus ſive ſit fluidum, ſive ſolidum, poteſt eſſe medium per quod deferantur ſpecies ſoni, aqua v. g. recipit ſpeciem ſoni; ſiquidem piſces audiunt ſtrepitum factum extra aquam: ſimiliter conſtat experientiâ quod exiſtentes in cubiculo omninò clauſo, & denſiſſimis parietibus circumdato ſonum externum audiunt; ergo quodcumque corpus ſive ſit fluidum, ſive ſolidum poteſt eſſe ſubjectum ſoni ſecundum eſſe intentionale ſpectati.

ARTICULUS VIII.

De voce directa & reflexa.

DIcendum eſt 1. vocem eſſe ictum aeris reſpiratione attracti & ad vocalem arteriam alliſi ab animâ in pulmonibus exiſtente cum quadam imaginatione, ſeu intentione aliquid ſignificandi.

Prob. & explicat. def. vox eſt ictus aëris non formaliter, ſed cauſaliter, quia vox non eſt ictus, ſed vox eſt ſonus qui cauſatur ab ictu: unde quadruplex cauſæ genus comprehenditur in hac definitione, formalis, nempè ſonus; materialis eſt aër in quo ſonus recipitur. Efficiens eſt anima in pulmonibus exiſtens, finalis denique eſt ſignificatio illius quod intenditur.

Dicendum eſt 2. & ult. quod vox reflexa, ſive Echo eſt ſonus verſus ſuam originem reflexus occurſu alicujus impedimenti.

Prob. & expl. ſicut pila occurrente corpore verſus ſuum principium reflectitur, ſic & ſonus. Quomodo autem ille ſonus producatur, explicat Sanctus Thomas his verbis ſic igitur intelligendum eſt quod ad percuſſionem corporum ſonantium aër in gyrum movetur, & ſonus undique diffunditur. Si verò priuſquam hujuſmodi gyrationes deficiant, fiat reverberatio aëris ſic moti & ſonum deferentis ad aliquod corpus, gyrationes

revertuntur in contrarium ; & ita auditur ſonus quaſi ex adverſo, & ille ſonus vocatur Echo.

ARTICULUS ULT.

De quibuſdam problematis ad auditum ſpectantibus.

DIcendum eſt 1. quod vox quæ ex naturâ ſuâ aërea ſurſum ferri debet, melius tamen auditur à loco inferiori quàm ſubli- miori.

Prob. & expl. illud problema. Ideò vox meliùs auditur à loco inferiori quam ſublimiori, quia ſonus qui ex naturâ ſuâ in ſublime tendit, ubi aëri ſibi adverſo occurrit, nec propellere illam valet, reflectitur deorſum, & ita meliùs percipitur : quando verò aliquis clamat, clamor ille non poteſt audiri ab illo qui in ſuperiori loco eſt poſitus, quia clamor ille non poteſt provenire ad illum locum propter occurſum aëris quem non poreſt propellere.

Dicendum eſt 2. & ult. quod inhorreſcimus cum ſerra exacuitur, cum lapis mola frangitur.

Prob. & expl. illud problema. Ex mente Ariſt. qui docet quòd vox omnis, & omnis ſtrepitus eſt quidam ſpiritus qui noſtrum ſenſum ſubiens nos diverſomodo commovet ſecundum vocis & ſtrepitus diverſitatem : ita

ut nos

ut nos lætitia afficiat ſi ſit lenis, horrore verò, ſi ſit aſper, & ita quia illi ſoni aſperi ſunt, propter illos inhorreſcimus.

Dicendum eſt 3. homines à primo ortu ſurdos, mutos quoque exiſtere.

Prob. & explicatur problema, & dico quod ille effectus provenit ex naturali connexione quæ reperitur inter organum auditus & vocalia inſtrumenta quæ ſunt os, lingua &c. ita ut propter talem connexionem, uno organo malè affecto, alterum pati neceſſe eſt. Per illam autem organorum connexionem explicantur plurima alia problemata. Hinc enim fit ut ſiquis obturata utraque aure citharam dentibus apprehenſam pulſet, acutius audiat. Hinc fit ut ſurdaſtri per os melius audiant, & ut ſcalpendo aurem, ſaliva in ore abundantior fluat. Hinc fit denique ut oſcitantes minus exquiſitè audiamus, quia tunc tympanum nimis inflatur, multo tunc ſpiritu ex ore aures intrinſecus ſubeunte.

QUÆSTIO VII.

De potentia viſiva.

Ut omnia quæ ad potentiam viſitivam pertinent, perfectè innoteſcant, agetur in iſta quæſtione de organo, medio,

objecto, operatione potentiæ viſivæ, & de quibuſdam problematis ad ipſam potentiam ſpectantibus.

ARTICULUS I.

De organo, medio, objecto, & operatione potentiæ viſivæ.

CONTRA CARTESIUM.

NOtandum eſt 1. potentiam viſivam eſſe facultatem animæ ſenſitivæ natam percipere colorem & lucem.

Notandum eſt 2. quòd oculi componuntur quinque membranis, ſeptem muſculis, ſive nervulis quibus quilibet oculus ſuſtentatur, & in diverſas partes trahitur: conſtant etiam aliis duobus nervulis qui à cerebro proficiſcuntur, ita tamen ut paululum progreſſi inter ſe uniantur, & ſe habeant per modum unius, & rurſus aſſociati oculos ſubintrant, conſtant denique tribus humoribus. Prima ex membranis dicitur ſpecularis, quia apta eſt ad ſpeculandum propter transfluentiam: ſecunda dicitur reticularis, quia retis ſimilitudinem refert, cum ſit variis venulis intexta, & tamen rotundum aliquod foramen in anteriori parte relinquit. Tertia dicitur uvea, quia ùvæ folliculo ſimilis eſt. Quarta dicitur Cornea, quia eſt tenuis, pellucida & fortis ſicut cornu. Quinta & ultima dicitur adhæ-

rens, & eſt albi coloris, relinquens foramen in anteriori parte paulò majus altero. Muſculi ſunt oculi motores, ideoque primus ſurſum, ſecundus deorſum movet, tertius dextrorſum, quartus ſiniſtrorſum trahit, duo ſequentes oculum rotant & circumferunt; ultimus denique oculum vertit & ſuſtinet. Primus humor appellatur cryſtallinus, quia lucet ut cryſtallus, in centro oculi reſidet, & veſtitur membrana ſpeculari: ſecundus humor dicitur vitreus, quia eſt vitro fuſo ſimilis, & veſtitur membranâ reticulari. ultimus vocatur aqueus ob aquæ ſimilitudinem, & veſtitur ultimâ membranâ quæ dicitur adhærens.

Notandum eſt 3. quod membranæ illæ & illi humores ita diſponuntur, ut in centro oculi reſideat humor ***chryſtallinus*** qui à tunica ***ſpeculari*** undique ambitur. Ad poſteriorem humoris ***chryſtallini*** partem reſidet humor ***vitreus*** quem poſteriori parte ambit tunica ***retiformis*** ſeu ***reticularis.*** Ad anteriorem humoris ***chryſtallini*** partem reſidet humor ***aqueus.*** Illos tres humores, nec non tunicam reticularem ambit tunica ***uvea,*** cujus fit proceſſus quidam ad latera humoris cryſtallini, quo velut interſtitio dirimitur & ſecernitur humor aqueus à vitreo. In hujus autem tunicæ parte anteriori eſt foramen quoddam rotundum, per quod cernitur humor cryſtallinus. Hanc tunicam ſequitur ***cornea.*** Poſtrema denique eſt ***adnata*** ſive ***adhærens*** quæ totum oculum ambit, relicto tamen foramine rotundo circa pupillam.

Notandum eſt 4. quod ibi quæritur quænam ex illis partibus ſit organum potentiæ

viſivæ. Circa præſentem difficultatem tres præcipuæ ſunt opiniones. Prima eſt quorundam aſſerentium proprium organum potentiæ viſivæ eſſe ſolum humorem cryſtallinum. Unde ſequitur duas eſſe potentias viſivas numero diſtinctas, in diſtinctis ſubjectis exiſtentes. Secunda eſt aliorum docentium humorē cryſtallinum eſſe tantum organum partiale; ita ut ex illo humore & nervis opticis præcipuè ubi conjunguntur, fiat organum totale, in quo toto ſubjectetur potentia viſiva, quæ proindè unica eſt. Tertia eſt Carteſii aſſerentis viſionem in nullis ex partibus aſſignatis fieri, ſed tantum in glandula.

Dicendum eſt 1. organum potentiæ viſivæ eſſe humorem cryſtallinum cum nervis opticis.

Prob. 1. quia humor ille eſt ſubſtantia pellucida, ſplendida, tenera & mollis, & præcipua inter omnes quibus organum viſûs conſtituitur, nam cæteræ partes, ſive humores, ſive membranæ iſti tanquam principali deſerviunt, vel ad ornatum, vel ad defenſionem: & 2. Si corrumpatur ille humor, deſtruitur potentia viſiva: ſi autem alij humores, vel membranæ offenderentur, non corrumpitur viſus; ergo humor ille cryſtallinus eſt organum potentiæ viſivæ. Præterea viſus ſubjectatur in nervis opticis, quia cùm viſio à potentiâ viſivâ elicita circa unum objectum, ſit una, neceſſe eſt ut habeat unum organum, & proinde pupilla utriuſque oculi debet continuari per illos duos nervos opticos, ſive conjungi. Illud docet S. Thom. explicans verba Ariſtotelis qui ſentiens uni-

cam eſſe potentiam viſivam in quovis animali, oppoſitum ſibi objicit cap. ult. de ſenſu & ſenſili in hæc verba : *At ſi quis dicat nihil prohibere, quin ut oculi duo ſunt, ita & in animâ res habeat, dicendum quod fortè ex illis quidem unum quid fit, & actus eorum unus eſt.* Quæ verba ſic explicat D. Thom. ibi lect. ult. *Quòd ſi aliquis dicat quòd ſicut ſunt duo organa viſus, ſcilicet duo oculi, ſic nihil prohibet in animâ ſenſitivâ etiam eſſe duos viſus: dicendum eſt hoc eſſe falſum. Quia ex duobus oculis fit aliquid unum, & una eſt operatio amborum oculorum, in quantum ſcilicet viſio utriuſque oculi concurrit per quoſdam nervos ad aliquod intrinſecum in ſuum organum quod eſt circa cerebrum, ut ſupra dictum eſt: non ergo videtur rationabiliter dici quod ſunt duo viſus in anima.*

Dicendum eſt 2. contra Carteſium, viſionem non fieri in glandula.

Prob. duplici ratione. 1. Quia nulla ſenſatio fit in glandula, ut jam probatum fuit; ergo neque viſio. 2. Ideo ex Carteſio viſio fit in glandula, quia impreſſio in organo facta communicatur glandulæ per nervos opticos: atqui impreſſio in organo facta non poteſt communicari glandulæ per nervos opticos, quia juxta celebriorum medicorum ſententiam, nervi optici ad glandulam non terminantur.

Dicendum eſt 3. viſionem eſſe apprehenſionem objecti viſibilis, non per emiſſionem radiorum viſualium in objecta, ſed per productionem ſpecierum.

Prob. viſio eſt actus vitalis & immanens;

ergo non debet fieri in ſubjecto extrinſeco, ſed in eodem ſuppoſito in quo eſt principium à quo elicitur viſio: atqui ſi viſio fieret per emiſſionem radiorum viſualium in objecta, fieret in ſubjecto extrinſeco, & proinde non eſſet actus vitalis. Neque dicendum quod illi radij ſive ſpiritus emiſſi ad objecta reflectantur ad oculos, deferentes ſpecies objectorum, & in oculis viſionem perficientes, quia ſi radii ſolares emanantes ab immenſo ſolis corpore non poſſint reflecti uſque ad mediã aëris regionem, ſic radii & ſpiritus viſuales emiſſi ad objecta, non poſſent reflecti ad oculos; ergo viſio non fit per emiſſionem radiorum ſpirituum viſualium.

Dicendum eſt 4. medium viſus debere eſſe diaphanum, ſive perſpicuum & illuminatum.

Prob. corpus diaphanum, ſive perſpicuum, v. g. aqua, criſtallus & hujuſmodi, eſt illud quod eſt aptum & capax recipere lucem, & ſpecies viſibiles, ipſaſque cõtinuare ad oculos, nam conſtat quòd poſito corpore opaco quod opponitur perſpicuo, ceſſat viſio; ergo medium per quod ſpecies viſibiles deferuntur, debet eſſe perſpicuum; illuminatum.

Dicendum eſt 5. & ultimò, objectum totale & adæquatum viſus eſſe colorem illuminatum; ita ut lux ſit complementum coloris in ratione efficiendi ſpecies intentionales ſui repræſentativas. De luce autem, & de coloribus agetur in ſubſequentibus Articulis.

ARTICULUS II.


De lumine reflexo.

NOtandum eſt 1. quod licet in tertia Phyſicæ parte plurima de natura luminis dicta fuerint, quædam tamen ibi dicenda ſuperſunt de lumine reflexo & refracto. Sed ut hæc omnia clarius & facilius intelligantur.

Notandum eſt 2. quod radius, qui nihil aliud eſt quam lumẽ à corpore lucido per rectam lineam procedens, dividitur in rectum, refractum, & reflexum. Rectus eſt qui à corpore luminoſo procedens ad aliquem terminum ſine ullo impedimento rectà tendit. Refractus eſt ille qui lineam mutat propter diverſa media per quæ tranſit; de illa autem luminis refractione agetur in ſubſequenti articulo. Radius reflexus eſt quando occurrente corpore denſo & opaco, reſilit & revibratur in partem à qua procedit, ita tamen ut reſiliendo efficiat æqualem angulum ei, quem illud corpus cadendo effecit. Sed ut hæc difficultas clarius intelligatur.

Nolandum eſt 3. quod plurima in reflexione reperiuntur, ſcilicet punctum reflexionis, linea incidentiæ, linea reflexionis, angulus incidentiæ, & angulus reflexionis. Punctum reflexionis eſt punctum illud plani reflectentis, in quo linea incidentiæ & linea reflexio-

nis coëunt. Linea incidentiæ eſt illa linea per quam lux ante reflexionem propagatur ad planum reflectens. Linea reflexionis eſt illa per quam lux poſt reflexionem recedit à à plano reflectente. Angulus incidentiæ eſt ille qui fit à linea incidentiæ cum plano reflectente. Angulus reflexionis eſt ille qui fit à linea reflexionis cum eodem plano. Quæ omnia melius patebunt in præſenti figura.



Sit ergo ſpeculum planum A B. Objectum viſibile ſeu lucidum C cujus radius incidat in D & reflectatur in H. Tum ducatur perpendicularis F G ſupra punctum D. Angulus A. D. C. erit angulus incidentiæ : angulus vero B. C. H. erit angulus reflexionis. His ita prænotatis quæritur utrum angulus reflexionis ſit æqualis angulo incidentiæ.

Dicendum eſt angulum reflexionis eſſe æqualem angulo incidentiæ.


Prob. lux effunditur in planum perpendiculariter, vel obliquè: atqui quocumque modo effundatur in planum, ita reflectitur, ut angulus reflexionis ſit æqualis angulo incidentiæ; ergo &c. Prob. min. quoad omnes partes. 1. Quidem ſi perpendiculariter emittatur, & in ſeipſum reflectatur, ita ut nec magis in unam partem declinet quam in aliam, tunc linea incidentiæ facit cum plano duos angulos rectos, & proinde linea reflexionis, quæ eſt eadem cum linea incidentiæ, facit cum plano duos angulos pariter rectos, adeoque æquales, quia omnes anguli recti ſunt æquales: ergo quando lux perpedicularitter in planum emittitur, angulus reflexionis eſt æqualis angulo incidentiæ. 2. Quando lux obliquè in planum emittitur, tunc non poteſt regredi per eandem lineam, ut fit in linea perpendiculari; radius enim qui à corpore lucido tendit in D & reflectitur in H, ut patet in figura, tunc angulus reflexionis eſt æqualis angulo incidentiæ. Omnia quæ dicta fuerunt de lumine, debent quoque intelligi de ſpeciebus intentionalibus omnium ſenſuum, & de motu etiam locali projectorum.

ARTICVLUS III.

De lumine refracto.

NOtandum eſt 1. quod luminis refractio fit, quando lumen per diverſa media tranſit, quando v. g. tranſit ex medio raro in denſum, ut ex aëre in aquam, vel ex medio denſo in rarum, ut ex aqua in aërem.

Notandum eſt 2. quod lumen duplici modo frangitur ſcilicet ad perpẽdicularem, & à perpendiculari. Tunc lux frangitur ad perpendicularẽ, quando magis accedit ad lineam perpendicularem, & illud contingit, quando lumen tranſit è medio raro in medium denſius. Tunc vero frangitur à perpendiculari, quando magis recedit à linea perpendiculari, & illud contingit, quando lumen tranſit è medio denſo in rarius, ut ex aqua in aërem. Illud clarius patebit in præſenti figura.



In hac ergo figura ſit corpus lucidum A

unus radius A C cadat in aquam, quæ eſt aëre denſior in puncto C in quo erigitur perpendicularis D C E. ſupra ipſam aquam. Certum eſt quòd radius A C qui non poteſt rectà tendere in B ob occurſum medij denſioris, nempè aquæ, frangetur verſus perpendicularem in F; ſi autem è contrario objectum viſibile A ſupponatur eſſe in aquâ, medio denſiori, & radius A C cadat in aërem, medium rarius, in ipſo puncto C tunc radius ille frangetur à perpendiculari, recedente ab illâ verſus G.

Notandum eſt 3. quod quærunt plurimi cur lumen è medio raro in denſius tranſiens, frangatur ad perpendicularem, & cur è medio denſo in rarius tranſiens frangatur à perpendiculari. Illud certè non ita explicatu facile eſt. illud provenire dicunt aliqui ex majori, vel minori medii reſiſtentia. Sed hanc rationem rejicit Petrus Petitus de ignis & lucis natura exercitatione 26. *Non enim verum eſt, obeſſe denſius medium lumini tranſeunti, (quomodo enim denſitas lumini contraria;) ſed prout eſt medium, ita recipitur in eo lux; ſi denſum craſſumque eſt ut aqua, vitrum, cryſtallus, dilatatur lux pro craſſitudine partium, quia in materiâ craſſiore partes radiorum longius à ſe invicem diſtant. Vt quidem ſcaligero placet. Mihi verò videtur lumen in medio denſiore potiùs conſtipari, atque ita majus apparere, quia plures ejus partes in eodem loco colliguntur, cum idem in medio laxiore ob diſſipationem cerni non poſſit. Hoc vulgus propter medii reſiſtentiam fieri opinatur, quod potius medii ipſius conditioni lumen*

receptum, ut ita dicam, formanti adſcribendum eſt; lux autem eo ipſo quod recipitur, modum accipit, citra illam medii reſiſtentiam. Atque inde ratio petenda eſt, quamobrem lumen à medio denſiore in rarius tranſiens reſiliat à perpendiculari, & contrà à rariore medio in denſius trajiciens verſus perpendicularem. Hæc nempè ratio eſt, quod lumen contactu rarioris pellucidi diſſipatur, atque ita debilitatum à perpendiculari radio, qui omnium fortiſſimus, neceſſariò deflectit. Contrà idem ingreſſu in denſius medium ex condenſatione valentius efficitur, quare ad radium perpendicularem qui omnium maximè validus, accedit. Atque hæc ratio luminis naturæ magis congruit, quàm quæ vulgò afferri ſolet. Dicunt enim radium perpendicularem, quia ſit fortiſſimus, perrumpere facilè illam medii reſiſtentiam, idcóque non frangi. Eos autem radios qui obliquè incidant, quia debiliores in medium denſius illabuntur, idcircò detorqueri verſus perpendicularem, ut illo ſitu vigorem accipiant, quò faciliùs medium penetrare poſſint; à medio autem denſiore in rarius tranſeuntes declinare à perpendiculari, quia facilior tranſitus tantum vigorem non requirit. Hæc quidem illi multis verbis explicant, ſatis, ut quod ſentio dicam, inconſultè. Qui non videant lumen ſic fieri mentis, & conſilij particeps, ſi pro maiori, vel minori medii reſiſtentia modò ſe ad perpendicularem convertit, modò ab eâ divertit.

ART.

ARTICULUS IV.

De coloribus.

CONTRA CARTESIUM.

NOtandum eſt quòd Carteſius docet non dari colores permanentes, ita ut colores nihil aliud ſint quàm lumen reflexum, & receptum ab objecto, tali & tali modo; & ita Carteſiani explicant colorem album, dicendo quod illa ſunt alba quæ ex utraque parte per aſperam ſuperficiem remittunt luminis globulos: explicant autem nigredinem, dicendo quod illud objectum videtur nigrum quod extinguit radios quos recipit, & ita in ſe luminis globulos retinet, ut nullum ad oculum remittat, & ita partes corporis nigri ſunt valdè politæ & interruptæ; ita ut facilè poſſint moveri, quia corpus ubi à motu divertit aliud, motum ipſum recipit, quia ſecundum Carteſii ſententiam, nullus motus de novo producitur, & nullus perit. Diverſos alios colores explicant Carteſiani ex diverſâ luminis reflexione, objectum v. g. videtur rubrum, quia expellendo luminis globulos dat illis quandam inclinationem ut moveantur circa centra, non verò ut per lineam rectam diſcedant: ſimiliter objectum videtur flavum, quando globuli quos expellit, habent æqualem in-

clinationem ut moveantur circa centra, & ut per lineam rectam diſcedant. Gaſſendus verò diverſa de coloribus docet, modò dicit quod colorum diverſitas conſiſtit in diverſa luminis reflexione, modò docet quòd colores conſiſtunt in figurâ corpuſculorum quæ objecta illuſtrata remittunt, & in modo quo ipſa corpuſcula feriunt oculos. Conveniunt ergo Carteſius & Gaſſendus in hoc quod dicant colorem conſiſtere in reflexione & modificatione lucis.

Dicendum eſt contra omnes recentiores Philoſophos, diverſos colores non conſiſtere in diverſa luminis reflexione.

Prob. 1. Carteſiani docentes quòd illud objectum eſt nigrum quod extinguit radios, & quod habet facultatem in ſe retinendi omnes luminis globulos, malè explicant nigredinis naturam; ergo & malè explicant omnium aliorum colorum naturam, prob. ant. ſi illa nigredinis explicatio eſſet bona ſequeretur quòd quando marmor nigrum videretur, partes marmoris nigri moverētur lumine: atqui abſurdum eſt dicere quòd partes marmoris nigri moveantur lumine; ergo bona non eſt nigredinis explicatio. Sequeretur etiam quod partes marmoris non eſſent adeò duræ quàm partes ceræ albæ: atqui illud non poteſt dici; ergo nec aliud. Prob. ſeq. maj. illæ partes ſunt magis duræ quæ habent vim majorem ad repellendos globulos: atqui partes ceræ albæ habent majorem vim ad repellendos tales globulos; ergo partes ceræ albæ eſſent magis duræ quàm partes marmoris.

Prob. 2. ſi color conſiſteret in diverſâ luminis reflexione, ſequeretur quòd omnes colores eſſent ejuſdem ſpeciei : atqui falſum eſt quòd omnes ſint ejuſdem ſpeciei ; ergo falſum eſt quòd omnes colores conſiſtant in diverſâ luminis reflexione. Prob. maj. lux in omnibus corporibus recepta eſſet ejuſdem ſpeciei ; ergo & colores eſſent ejuſdem ſpeciei, quia illa luminis modificatio non poteſt facere niſi diſtinctionem accidentalem. Prætereà ſi color conſiſteret in diverſa luminis reflexione, ſequeretur quod clauſo volumine, & interdicto lucis aditu omnis deleretur ſcriptura, nullo albi & nigri perſeverante diſcrimine, & eodem aperto volumine reſtitueretur omnis ſcriptura ; ſequeretur etiam quòd extinctâ luce Gallus & Æthiops, cygnus & corvus eſſent colore æquales, quatenus ſuo colore quilibet ſpoliaretur:atqui illa omnia ſunt abſurda ; ergo lux non poteſt conſiſtere in diverſâ luminis reflexione. Poteſt etiam addi quòd color mutaretur, mutatâ lucis modificatione : atqui color non mutatur mutatâ lucis modificatione ; ergo color non cõſiſtit in lucis modificatione.Prob.min. mutato ſitu oculi,mutatur lucis modificatio:atqui non mutatur color ; ergo mutata lucis modificatione, non mutatur color, prob. maj. modificatio lucis nihil aliud eſt, juxta adverſarios, quàm reflexio lucis ab objecto viſo ad oculum : atqui mutato ſitu oculi, mutatur illa reflexio lucis ab objecto viſo ad oculum ; ergo mutatur lucis modificatio, & tamen non mutatur color, ut experientiâ conſtat, nam ex quacumque parte conſpiciatur

corvus, ſemper videbitur niger.

Obj. 1. ex Ariſt. 2. de Anima cap. 7. *lumen eſt idem ac color*; ergo color conſiſtit in lucis modificatione.

Reſp. diſt. ant. lumen reflexum idem eſt ac color apparens, con. lumen idem eſt ac color permanens, neg. quia colores apparentes quales ſunt in iride, conſiſtunt quidem in ſola lucis modificatione; ſed præter illos colores apparentes, dantur veri colores permanentes, ut jam probatum eſt.

Obj. 2. abſente luce nullus remanet color, juxta illud Virgilij.
...., *Rebus nox abſtulit atra colores.*
& redeunte luce redeunt colores, juxta illud quod canit Eccleſia, *Rebuſque jam color redit vultu nitentis ſideris*; ergo color conſiſtit in ſolâ lucis modificatione.

Reſp. diſt. ant. abſente luce nullus remanet color viſibilis, con. nullus remanet color ſecundum entitatem, neg. quia per abſentiam lucis, coloris entitas non perit, dicitur tamen perire ſecundum rationem viſibilitatis, quia color non poteſt videri ſine luce.

Obj. 3. vitrum valdè attritum videtur maximè album, & nihil eſt novi in vitro præter diverſam partium diſpoſitionem, quæ eſt cauſa diverſæ reflexionis luminis; ergo diverſa reflexio luminis facit diverſos colores.

Reſp. neg. conſ. quia illud ſolum exemplum probat objecta videri minùs vel magis colorata, quò ſunt magis, vel minus illuſtrata, ſed illud verum eſſe fatemur cum Carteſio; nullus enim dubitat quod objectum

non ſit magis coloratum quando ſolis luce eſt illuſtratum, quàm quando ſolùm candelæ lucem recipit, quamvis enim aliqua ſtatua habeat eandem albedinem in omnibus partibus, tamen quia ſunt aliquæ ſtatuæ partes quæ magis reflectunt lumen, in illis partibns, ſtatua videtur magis alba, quàm in aliis & ratio illius eſt, quia cum lumen ſit neceſſarium, ut colores videamus, ipſos magis, vel miùus videmus, quò magis, vel minùs ſunt illuſtrati; vitrum ergo eſt album, & tamen cùm habeat ſuperficiem politam, nobis non videtur album, quia non poteſt reflectere lumen.

Obj. 4. & ult. per priſma aliquod vitreum, ſive triangulum oblongnm exhibentur diverſi colores in eodem objecto ſecundum quod diverſimodè radii moventur exeundo ex illo priſmate, ſive per lineam rectam procedendo, ſive per lineam circularem & obliquam, quia nihil aliud in radiis illis fingi poteſt quod tales colores nobis repræſentet, aut quod nos inducat ad percipiendum talem, vel talem colorem; ergo cum in illo priſmate diverſa luminis reflexio faciat diverſos colores, poteſt & in omnibus ſubjectis eadem luminis reflexio colores omnes efformare.

Reſp. neg. conſeq. quia per illud priſma nobis exhibentur colores apparentes ob diverſam luminis reflexionem, non tamen ideò negandi ſunt alii reales & permanentes colorer exiſtentes in diverſis corporibus, licet non appareant in tenebris, quia lux eſt neceſſaria ut videantur; ſiquidem plurima ſunt objecta realiter ex ſe viſibilia, & plures ſoni ex ſe

audibiles, & tamen ſi nimiùm diſtent, non percipiuntur, quia nequeunt ex tantâ diſtantiâ impreſſionem aliquam in ſenſibus efficere.

ARTICULUS IV.

De ſpeciebus ad viſionem neceſſariis.

NOtandum eſt quòd juxta opinionem peripateticorum, ſpecies impreſſæ ſunt quædam minima accidentia ab objectis producta in potentiis in quibus recepta repræſentant objecta, & determinant potentias ut ſua objecta apprehendant.

Dicendum eſt neceſſarias eſſe ad viſionem ſpecies impreſſas.

Prob. potentia viſiva eſt ſecundum ſe indeterminata ad videndum hoc vel illud objectum; ergo debet recipere aliquid per quod determinetur ad hoc objectum potiùs quàm ad aliud, aliàs remaneret ſemper intrinſecè indifferens & indeterminata: atqui illud per quod potentia viſiva determinatur, non poteſt eſſe aliud quàm ſpecies, ſive ſimilitudo repræſentans illud objectum; nam ſi potentia poſſet determinari per aliquid aliud, maximè per extrinſecam præſentiam objecti, quod tamẽ non poteſt dici, quia potentia debet recipere aliquid per quod intrinſecè determinetur, non poteſt autẽ recipere objectũ

extrinſecũ,ut per ſe manifeſtum eſt; ergo debet recipere ſpecies impreſſas quæ ipſam intrinſecè determinent, & quæ ipſi objectum repræſentent. Præthereà conſtat, quod oculus non videt ſeipſum, neque objecta retrò poſita, benè tamen ſi apponatur ſpeculum: atqui hoc non poteſt fieri, niſi beneficio ſpecierum quas objecta immittunt in ſpeculum, & hinc ad oculos reflexæ, illa objecta repræſentant; ergo ſpecies impreſſæ ſunt neceſſariæ ad viſionem.

Obj. 1. ſpecies impreſſæ non habent cauſam paſſivam ex quâ educantur, & cauſam efficientem à quâ producantur, quia cùm habeant eſſe intentionale & repræſentativum, non videntur poſſe educi de potentia naturali, & Phyſica ſubjecti, non poſſunt etiam produci ab objecto, quia objectum habet eſſe valdè imperfectum & materiale; ergo non dantur ſpecies impreſſæ.

Reſp. 1. neg. 1. part. ant. quia cum ſpecies impreſſa ſit accidens entitativè, educitur ab illo ſubjecto cui inhæret, ſive ſit organum, ſive ſit medium.

Reſp. 2. neg. 2. part. ant. quia objecta ſunt ſufficienter in actu ad producendas ſpecies impreſſas.

Obj. 2. impoſſibile videtur quòd tota ſpecies cœli, vel magni montis recipiatur in pupilla oculi; ſimiliter quòd in illâ recipiantur tot tamque diverſæ ſpecies abſque ullâ confuſione; ergo non dantur ſpecies impreſſæ.

Reſp. neg. ant. quia ſpecies in extenſione non conformatur objecto à quo emittitur, &

ſubjecto cui inhæret, & ſicut calor, dulcedo, albedo recipiuntur in eadem parte ſaccari abſque ulla confuſione, ita ſpecies viſibiles abſque ulla confuſione recipiuntur in eadem parte ſubjecti.

Obj. 3. & ult. viſio eſt operatio vitalis quæ debet procedere principio intrinſeco; ergo non poteſt procedere à ſpecie.

Reſp. diſtant viſio debet procedere à principio intrinſeco ſub ratione vitalitatis, con. in quantum eſt hujus, vel hujus ſpeciei, & verſatur circa tale objectum, neg. quia actio vitalis dependet à ſpecie impreſſâ tanquam à principio ſpecificante & determinante.

ARTICULUS V.

De quibuſdam problematis ad viſum ſpectantibus.

Dicendum eſt quòd illi qui oculis prominentibus ſunt, obtusè vident, contrà verò acutè cernunt qui cavos habent oculos.

Prob. & explic. illud problema. Ex Ariſt. ideo qui oculos habent cavos, acutè cernunt, quia ſpecies ab objectis emiſſæ magis uniuntur, & ad centrum oculi concurrunt, & ita fortius ad eliciendam viſionem juvant: unde qui objecta valdè remota cernere cupiunt, palpebras contrahunt; ideò autem qui oculis prominentibus ſunt, obtusè vident, quia in

oculis ſpecies non ita adunantur, & ſpiritus animales faciliùs diſſipantur.

Dicendum eſt 2. & ult. quod luſcus & ſenex cùm ambo parùm ob imbecillitatem oculis valeant, ille oculis objectum proximè admovet, ut videat, ille verò procul removet.

Prob. & expli. illud problema. ideò ſenex objectum procul removet ut videat, quia ſenex parùm habet de interno lumine, quod ut ſuppleatur, removet objectum, ut externo lumine magis illuſtret, vel ut majorem ſpecierum copiam poſſit recipere: ideò luſcus objectum proximè oculis admouet, quia adeò debiles ſunt ipſius oculi, ut ægrè admodum lucem ſuſtineant.

QUÆSTIO ULT.

De potentiis internis animæ ſenſitivæ.

CUM jam plurima dicta fuerint de ſenſibus externis, quædam in duobus articulis de internis dicenda ſuperſunt.

ARTICULUS I.

Quot, & quid ſint ſenſus interni.

DIcendum eſſe quatuor ſenſus internos ſcilicet ſenſum communem, phantaſiam, æſtimativam, & memoriam ſenſitivam.

Prob. illæ facultates ſpecificè diſtinguntur, quæ habent diverſa objecta: atqui ſenſus communis, phantaſia, æſtimativa, & memoria ſenſitiva habent objecta formaliter diverſa, ſiquidem illæ ſingulæ potentiæ percipiunt omnia ſenſibilia ſenſuum externorum ſecundum diverſam formalitatem, ſenſus enim communis ex ſe primò percipit objecta ſenſuum externorum, quatenus hic & nunc ſenſibus objiciuntur, diſcernendo unum ab alio, ſive judicando unum non eſſe aliud. Phantaſia habet per ſe primò percipere eadem objecta ſecundum eaſdem rationes ſecundum quas à ſenſibus externis percipiũtur, quatenus tamẽ abſtrahũt à præſentiâ & abſentia. Æſtimativa habet per ſe primò percipere ſenſibilia, quatenus actu ſenſibus externis objiciuntur, ſecũdum tamẽ aliquas rationes inſenſatas, v.g. lupũ eſſe inimicũ ovibus. Memoria denique habet per ſe primò percipere objecta ſenſibilia ſecundum rationes inſenſatas, quatenus abſtrahunt à præſentia & abſentia; v.g. avis volans per aëra, recordatur pullos exiſtere in nido; ergo cum illæ potentiæ habeant ob-

jecta formaliter diverſa, diſtinguntur ſpecie.

Dicendum eſt 2. ſenſum communem eſſe facultatem animæ ſenſitivæ ordinatam ad diſcernenda objecta ſenſuum externorum, dum ab illis percipiuntur.

Prob. & expl. illa concl. quando quis, v.g. pomum manducat, diſcernit illius colorem, odorem, ſaporem, & ſonum, qui fit partium diviſione : atqui illa diſcretio non poteſt fieri ab aliis ſenſibus externis, quia unus non poteſt apprehendere objectum alterius; ergo debet fieri ab alio ſenſu perfectiori : ille ſenſus non poteſt eſſe alius quàm ſenſus communi-, utpote commune receptaculum ſpecierum ſenſuum externorum; ergo ſenſus communis eſt facultas animæ ſenſitvæ ordinata ad diſcernenda objecta ſenſuum externorum, dum actu ab illis percipiuntur.

Dicendum eſt 3. phantaſiam eſſe potentiam animæ ſenſitivæ, ordinatam ad percipienda objecta ſenſibilia, quatenus abſtrahunt à præſentia & abſentia, recipiendo ſpecies à ſenſu communi, illaſque retinendo ita ut habeat rationem memoriæ reſpectu illarum.

Prob. non ſolùm homines, ſed etiam bruta percipiunt objecta ſenſibilia abſentia, non tantùm in vigiliis, ſed etiam in ſomnis; ſiquidem refert Ariſtoteles canes dormientes latraſſe, quod non poterant facere, niſi apprehendendo objecta ſibi infenſa : atqui nec homines, nec bruta poſſunt percipere objecta ſenſibilia abſentia niſi per illam potentiam quæ dicitur phantaſia, & quæ in hominibus dicitur imaginatio, quatenus ex diverſis ima-

ginibus, ſive ſpeciebus per alios ſenſus acceptis format ſibi alteram imaginem, v. g. ex ſpecie auri & montis format imaginem montis aurei.

Dicendum eſt 4. æſtimativam eſſe facultatem animæ ſenſitivæ, ordinatam ad cognoſcenda objecta ſenſibilia præſentia ſecundum rationes inſenſatas, ſive quæ à ſenſibus externis non percipiuntur.

Prob. & expl. non ſolùm homines, ſed etiam bruta percipiunt in omnibus ſenſibilibus multa quæ non percipiuntur à ſenſibus, v. g. ovis percipit lupum ut inimicum, aves apprehendun paleas ut utiles ad nidificandum; ergo debet dari potentia aliqua quæ percipiat hujuſmodi res inſenſatas; hæc autem potentia non poteſt eſſe alia quàm æſtimativa, quæ potentia in homine dicitur cogitativa, quatenus bruta percipiunt res inſenſatas inſtinctu & ſimplici apprehenſione; homo verò percipit res inſenſatas comparatione & diſcurſu quodam inferendo unum ex alio.

Dicendum eſt ult. memoriam ſenſitivam eſſe facultatem animæ ſenſitivæ, ordinatam ad percipienda objecta ſenſibilia abſentia, & cognita per æſtimativam, ſecundum rationes inſenſatas, recipiendo & conſervando ſpecies repræſentantes illas res inſenſatas.

Prob. conſtat experientiâ canem fugere ad umbram fuſtis; ergo debet dari aliqua potentia quæ percipiat res illa inſenſatas: illa autem eſt memoria quæ in homine dicitur reminiſcentia, quia homo revocat hoc objectum abſens per modum diſcurſus inferendo quodammodo unum ex alio. Quælibet autem

autem ex illis potentiis habet ſuum organum: ſenſûs communis organum eſt illa ſubſtantia cerebri quæ continetur in primâ cellulâ; organum phantaſiæ eſt alia ſubſtantia cerebri quæ continetur in ſecundâ cellulâ; organum æſtimativæ in tertiâ, & organum memoriæ in quartâ cellulâ.

ARTICULUS II.

De appetitus ſenſitivi organo & de potentia loco motiva.

NOtandum eſt appetitum ſenſitivum definiri inclinationem ad bonum ſenſu apprehenſum: appetitus autem ſenſitivus dividitur in concupiſcibilem & iraſcibilem. Appetitus concupiſcibilis eſt illa facultas quâ animal cupit bona per ſenſum apprehenſa, & abhorret â malis ipſis bonis oppoſitis: iraſcibilis verò verſatur circa bona ut ardua: potentia verò loco motiva eſt facultas quâ animal tranſit de uno loco in locum: illæ autem potentiæ diſtinguntur realiter ſpecificè, quia dicunt ordinem ad objecta formaliter diverſa; ſiquidem appetitus concupiſcibilis habet pro objecto bonum delectabile; appetitus iraſcibilis bonum arduum, & potentia loco motiva habet pro objecto locum determinatum. Thomiſtæ tamen plurimi docent potentiam loco motivam non eſſe diſtinctam ab appetitu.

Notandum eſt 2. circa organum ſive ſubjectum appetitus ſenſitivi diverſas eſſe opiniones. Prima eſt quorumdam aſſerentium appetitum iraſcibilem poni in corde, & concupiſcibilem in hepate. Secunda eſt aliorum ſibi ſuadentium appetitum iraſcibilem reſidere in folliculo fellis, & concupiſcibilem in liene. Tertia eſt Sancti Thomæ docentis appetitum in animalibus perfectis reſidere in corde.

Dicendum eſt 1. appetitum concupiſcibilem non poni in hepate.

Prob. gaudium ſpectat ad appetitum concupiſcibilem, ex communi conſenſu: atqui gaudium non eſt in hepate, ſed in corde, quod ab illo dilatatur & incaleſcit; ergo neque appetitus concupiſcibilis eſt in hapate.

Dicendum eſt 2. appetitum iraſcibilem non reſidere in folliculo fellis.

Prob. ideo ex ipſis Philoſophis appetitus iraſcibilis reſidet in folliculo fellis, eo quod bilis ſit irritamentum iracundiæ: unde qui bilioſi ſunt, iracundi eſſe ſolent: atqui illa ratio non probat appetitum iraſcibilem reſidere in folliculo fellis, ſed tantum probat, flavam bilem, cum calida ſit & ſicca, iram movere & nutrire; ergo &c.

Dicendum eſt 3. appetitum concupiſcibilem non eſſe in liene.

Prob. ideo ex ipſis Philoſophis, appetitus concupiſcibilis eſt in liene, quia in illo eſt lætitiæ locus: unde qui liene laborant, rarò & difficilè rident; atqui illa ratio non probat appetitum concupiſcibilem eſſe in liene, ſed tantum probat atram bilem triſtitiæ affectum inducere; ergo &c.

Dicendum eſt 4. appetitum in animalibus perfectis reſidere in corde.

Prob. affectus & perturbationes appetitus in corde exercentur, nam cor lætitiâ dilatatur, & triſtitiâ conſtringitur; ergo in animalibus perfectis appetitus reſidet in corde:in animalibus vero imperfectis reſidet in toto eorum corpore.

TRACTATUS IV. & ultimus.

De anima rationali.

DUAS complectetur quæſtiones iſte tractatus. In 1. diſputabitur de animâ rationali ſecundum ſe. In 2. de potentiis animæ rationalis.

QUÆSTIO I.

De animâ rationali ſecundum ſe.

QUatuor complectetur articulos iſta quæſtio. In 1. quæretur quid ſit anima rationalis. In 2. an ſit immaterialis. In 3. an ſit immortalis. In 4. utrum omnes animæ ſint æqualis perfectionis.

ARTICULUS I.

Quid ſit anima rationalis.

DIcendum eſt 1. animã definiri poſſe, actũ primum corporis organici, potentia vitam rationalem, ſive intellectivam habentis; vel principium primum & radicale operationum rationalium, quæ definitio conſtat genere & differentiã, ut patet.

Dicendum eſt 2. & ult. animam rationalem poſſe definiri, ſubſtantiam ſpiritualem, & incorruptibilem, & per ſe ſubſiſtentem, alteri communicabilem tanquam illius formam.

Prob. & expl. definitio. 1. Dicitur ſubſtantia, & per hoc convenit cum cæteris formis, & animabus: 2. Dicitur ſpiritualis & incorruptibilis, & per ſe ſubſiſtens, ut diſtin-

guatur à formis materialibus, quæ non poſſunt habere eſſe niſi in materiâ; ex quo etiam ſequitur animam rationalem non poſſe attingi actione generativâ, & virtute agentis naturalis, quia omnis actio generativa eſt materialis, & virtus quoque elicitiva talis actionis eſt materialis & corporea, nec proinde poteſt attingere, ſive producere ſubſtantiam ſpiritualem. 3. Dicitur forma alteri communicabilis, ut diſtinguatur ab Angelis qui ſunt ſubſtantiæ completæ, & nullam habent propenſionem ad corpus.

ARTICULUS II.

Vtrum anima rationalis ſit ſpiritualis.

DIcendum eſt animam rationalem eſſe ſpiritualem.

Prob. 1. anima rationalis eſt principium intelligendi: atqui principium intelligendi eſt ſpirituale, quia intelligere eſt proprius caracter rerum ſpiritualium, ſic ut quantitas eſt proprius caracter rerum materialium; ergo anima rationalis eſt ſpiritualis.

Prob. 2. quod habet operationem ſpiritualem eſt ſpirituale: atqui anima rationalis habet operationem ſpiritualem; ergo eſt ſpiritualis, prob. min. intellectio eſt operatio animæ rationalis: atqui intellectio eſt operatio

ſpiritualis, quia per intellectionem cognoſcuntur ſpiritualia, nempe Deus & Angeli, & illa ſpiritualia non poſſunt cognoſci niſi per ſpecies ſpirituales, quæ non poſſunt recipi niſi in ſubjecto ſpirituali; ergo anima habet operationem ſpiritualem.

Prob. 3. intellectio poteſt corporea cognoſcere; ergo non eſt corporea, prob. conſ. in rebus corporeis intus prohibet extraneum; unde ut lingua guſtet ſapores, debet eſſe ſine ſapore; ergo ut intellectio cognoſcat corporea, non debet eſſe corporea.

ARTICULUS III.

Vtrum anima rationalis ſit immortalis.

DIcendum eſt animam rationalem eſſe immortalem & incorruptibilem ab intrinſeco. Illa autem concluſio eſt de fide.

Prob. 1. anima rationalis non dependet à cauſis corrumpentibus ſcilicet cælis: tum quia anima rationalis immediatè creatur à Deo: tum quia intellectus & voluntas non dependent à cælis, ſed illis dominantur, juxta illud *Sapiens dominabitur aſtris*; ergo anima rationalis non eſt corruptibilis.

Prob. 2. homo naturaliter cupit immortalitatem; ergo cum naturale deſiderium non poſſit eſſe inutile, homo debet eſſe capax talis immortalitatis, ſaltem ſecundum eam poten-

tiam quâ eam apprehendit & cupit, ſcilicet ſecundum partem intellectivam.

Prob. 3. homines pravi propter peccata debent puniri, & juſti debent premia virtuti debita recipere: atqui hoc in hâc vitâ non fit; videmus enim malos affluere divitiis, frui voluptatibus, & honoribus affici: bonos vero miſeriis, ærumnis, & calumniis ſæpè opprimi; ergo illud debet fieri in altera vita, & proindè homines debent eſſe immortales ſecundum animam.

Prob. 4. omnis ſubſtantia ſpiritualis, & per ſe ſubſiſtens, eſt immortalis & incorruptibilis ab intrinſeco: atqui anima rationalis eſt ſpiritualis & per ſe ſubſiſtens, ut jam probatum fuit; ergo anima rationalis eſt immortalis, & incorruptibilis ab intrinſeco. Prob. maj. quod caret principio tam remoto, quàm proximo corruptionis, eſt immortale & incorruptibile ab intrinſeco: atqui ſubſtantia ſpiritualis & per ſe ſubſiſtens caret principio remoto, & proximo corruptionis; ergo ſubſtantia ſpiritualis & per ſe ſubſiſtens eſt immortalis & incorruptibilis ab intrinſeco. Prob. min. materia eſt principium radicale corruptionis, quia eſt principium tranſmutationis Phyſicæ: principium verò proximum corruptionis ſunt qualitates contrariæ: atqui ſubſtantia ſpiritualis & per ſe ſubſiſtens caret materia, & contrariis qualitatibus. 1. Caret materiâ, cum, ut jam probatum fuit, ſit ſpiritualis. 2. Caret quatuor primis qualitatibus, quia illæ qualitates ſunt materiales, & proinde non poſſunt recipi in ſubjecto ſpirituali; ergo anima rationalis caret prin-

cipio remoto & proximo corruptionis.

Obj. 1. ſi ex immaterialitate animæ conjiceretur animæ immortalitas, ex materialitate ſubjecti deberet conjici mortalitas, ſive corruptibilitas ejuſdem ſubjecti: atqui ex materialitate ſubjecti non conjicitur corruptibilitas ejuſdem ſubjecti; ergo ex immaterialitate animæ non poteſt conjici animæ incorruptibilitas.

Reſp. neg. maj. quia licet verum ſit quod quidquid eſt immateriale, ſit immortale, non tamen verum eſt quod quidquid eſt materiale, ſit corruptibile, quia cœli habent materiam, & tamen non ſunt corruptibiles, quia illa materia informatur modo inamiſſibili; proinde anima eſt immortalis in ſe & ab intrinſeco, non tamen à ſe, ſicuti Deus, quia cùm anima à Deo ſit creata, poteſt ab illo annihilari, nec tamen poteſt dici quòd ſit corruptibilis, quia ut ait S. Thom. aliquid non dicitur corruptibile per hoc quod Deus poſſit illud in non eſſe redigere, ſed per hoc quod in ſeipſo habeat aliquod principium corruptionis.

Obj. ult. homines & bruta eodem modo naſcuntur, creſcunt, ſeneſcunt, moriuntur, & ſimilibus conſtant partibus tam internis, quàm externis; ergo ſicuti quando moriuntur bruta, animæ illorum in nihilum evaneſcunt: ita quando moriuntur homines, perit eorum anima.

Reſp. neg. conſeq. quia licet aliqua ſit affinitas inter homines & bruta ratione corporis, & eorum quæ corpus conſequuntur, tamen inter animam hominum & brutorum infinita eſt propè diſtantia.

ARTICULUS IV.

Vtrum omnes animæ ſint ejuſdem perfectionis ſubſtantialis.

DIcendum eſt omes animas eſſe inæquales in perfectione ſubſtantiali.

Prob. anima eſt ordinata ad informandum corpus, & dependet ab organis corporeis in operando; ergo omnes animæ ſunt inæquales in perfectione ſubſtanțiali, ſi omnia corpora habeant diverſa organa, & diverſa temperamenta: atqui omnia corpora habent diverſa organa; ergo omnes animæ ſunt inæquales, non quidem in perfectione ſubſtantiali ſpecificâ; conſtat enim quod omnes animæ habent eadem prædicata eſſentialia, ſed tantùm in perfectione ſubſtantiali individuali: & ita poteſt dici quòd licet anima ſit ſubſtantialiter perfectior corpore, tamen per accidens creatur propter corpus, & ita quòd nobilior anima producitur in nobiliori corpore.

QUÆSTIO ULT.

De potentiis animæ rationalis.

TRES complectetur articulos iſta quæſtio. In 1. agetur de intellectu. In 2. utrum fides, ſcientia, & opinio poſſint eſſe in eodem intellectu. In 3. de voluntate.

ARTICULUS I.

De intellectu.

DIcendum eſt 1. intellectum, qui eſt facultas ſpiritualis animæ rationalis, dividi in intellectum agentem, & intellectum patientem.

Prob. objectum materiale non poteſt agere in ſpirituale, nec producere aliquam ſpeciem ſpiritualem; ergo debet dari aliquod agens quod ex ſpeciebus rerum ſenſibilium eliciat ſpecies ſpirituales, & immateriales: atqui tale agens eſt intellectus agens & illa potẽtia quæ recipit hujuſmodi ſpecies ab intellectu agente productas, eſt intellectus pa-

tibilis; ergo intellectus rectè dividitur in intellectum agentem, & in intellectum patientem. Intellectus autem agens eſt facultas ſpiritualis animæ rationalis, ſive virtus activa producens in intellectu poſſibili ſpecies intelligibiles ad percipienda ſua objecta: intellectus verò poſſibilis eſt facultas animæ rationalis, receptiva ſpecierum intelligibilium, elicitiva intellectionum. Illi autem intellectus ſunt duæ potentiæ realiter diſtinctæ, quia habent actus omninò diverſos, & objecta formaliter diverſa; ſiquidem intellectus agens producit ſpecies ſpirituales tanquã cauſa efficiens principalis; intellectus verò poſſibilis mediantibus illis ſpeciebus cognoſcit objecta externa modo immateriali & ſpirituali: ſimiliter intellectus agens verſatur circa res materiales & intelligibiles in potentiâ; intellectus verò poſſibilis verſatur circa illas ut actu intelligibiles.

Dicendum eſt 2. objectum adæquatum intellectûs eſſe ens in totâ ſuâ latitudine, ſive ſit ens reale, ſive ſit ens rationis, ſive ſit ens ſubſtantiale, ſive accidentale, ſive ſit ens materiale, ſive ſpirituale.

Prob. intellectus verſatur circa illud omne quod eſt intelligibile: atqui omne ens eſt intelligibile; ergo intellectus verſatur circa ens in totâ ſuâ latitudine.

Dicendum eſt 3. intellectionem eſſe aſſimilationem inter potentiam, & objectum, quæ concluſio ut benè intelligatur.

Notandum eſt quòd ad intelligendum, quatuor requiruntur. 1. Potentia intellectiva. 2. Species impreſſæ. 3. Ipſa intellectio,

ſive operatio intellectûs. 4. Species expreſſa producta per talem operationem; illa autem ſpecies expreſſa varia ſortitur nomina. 1. Dicitur ſpecies expreſſa, quia ex ſpecie impreſſâ exprimitur & producitur. 2. Dicitur terminus intrinſecus intellectionis, quia per illum producitur. 3. Dicitur objectum intrinſecum, quia gerit vices objecti, tanquam formalis & actualis ejus imago. 4. Dicitur verbum mentis, quia per illam imaginem ore mentali productam, intellectus ſibi rem manifeſtat, ſicut per verbum ore corporeo productum homo manifeſtat ſuos conceptus: ſimiliter operatio intellectus varia ſortitur nomina, modò vocatur intellectio, modò dictio. Vocatur intellectio, quatenus attingit objectum cognitum, ſive ut præſens ac unitum intellectui; vocatur dictio, quatenus producit ſpeciem expreſſam, ſive verbum, quia dicere eſt exprimere ſuum conceptum.

Prob. cognoſcere objectum nihil aliud eſt quam objectum uniri & fieri præſens intētionaliter potentiæ cognoſcenti: atqui objectum uniri & fieri præſens potentiæ cognoſcenti per ſpeciem expreſſam, eſt potentiam cognoſcitivam aſſimilari objecto; ergo intellectio eſt aſſimilatio inter potentiam & objectum.

Dicendum eſt ult. omnem intellectionem eſſe productivam verbi exceptâ ſolâ Dei viſione beatificâ.

Prob. ut objectum cognoſcatur debet uniri potentiæ cognoſcitivæ: atqui nullum objectum, præter eſſentiam Dei immediatè

immediatè unitur intellectui, & proinde debet eſſe ſpecies expreſſa in omni intellectione, exceptâ cognitione eſſentiæ divinæ.

ARTICULUS II.

Vtrum ſcientia, fides & opinio poſſint ſimul ſtare in eodem intellectu circa idem objectum formaliter ſumptum.

NOtandum eſt ſcientiam eſſe habitum certum, & evidentem; opinionem eſſe cognitionem incertam, & inevidentem ob medium probabile & contingens; fidem verò eſſe habitum certum & inevidentem. Quæritur ergo utrum aliquis intellectus habens habitum ſcientificum de aliquo objecto formaliter ſumpto, poſſit de eodem elicere actum opinionis & fidei, vel habere habitum opinionis & fidei.

Dicendum eſt ſcientiam non poſſe ſimul ſtare cum opinione & fide in eodem intellectu.

Prob. quæ habent inter ſe formalem repugnantiam, non poſſunt inter ſe uniri in eodem intellectu: atqui fides, ſcientia & opinio habent inter ſe formalem repugnantiam; ergo non poſſunt ſimul ſtare in eodem intellectu. Major eſt evidens. Prob. ergo min. reddere

intellectum convictum, & non convictum, eſt habere inter ſe formalem repugnantiam: atqui ſcientia & opinio hoc præſtant; ergo ſcientia & opinio habent inter ſe formalem repugnantiam, prob. min de ratione ſcientiæ eſt quòd id quod ſcitur, exiſtimetur, eſſe impoſſibile aliter ſe habere: atqui exiſtimare impoſſibile aliter ſe habere, eſt habere intellectum convictum; exiſtimare verò poſſibile aliter ſe habere, eſt habere intellectum non convictum: illud idem præſtant fides & ſcientia; nam ſcientia reddit intellectùm videntem, & fides reddit intellectum non videntem, utpote obſcura & inevidens; ergo ſcientia fides & opinio habent inter ſe formalem repugnantiam, & proinde non poſſunt ſimul ſtare in eodem intellectu.

Obj. 1. actus ſcientiæ & opinionis poſſunt eſſe ſimul, ſi nulla inter ipſos detur contrarietas: atqui nulla datur contrarietas; ergo poſſunt eſſe ſimul. Prob. min. ſi eſſet aliqua contrarietas, vel eſſet ex parte actuum, vel ex parte objecti: atqui non eſt contrarietas ex parte actuum, nec ex parte objecti; ergo nulla datur contrarietas. Prob. min. 1. Quod non eſt contrarietas ex parte actuum, quia ſi eſſet contrarietas, præcipuè quia unus actus eſſet certus, & alter incertus: atqui illud non repugnat; ergo non eſt contrarietas ex parte actuum. Prob. min. non repugnat unum actum eſſe judicium, & alium non eſſe judicium, ſed ſimplicem apprehenſionem; ergo non repugnat unum actum eſſe certum, & alium incertum. Prob. 2. quia intellectus poteſt verſari circa idem objectum per diver-

ſa media, quorum unum ſit probabile, & aliud neceſſarium; ergo illa contrarietas non ſe tenet ex parte objecti.

Reſp. quod contrarietas ſumitur ex parte omnium prædictorum, quando ſimul ſumuntur. 1. Sumitur ex parte actuum, quia licet actus ſint poſitivi, inducunt in intellectu effectus privativè oppoſitos, ut videre & nõ videre. Fateor quidẽquod judicium & ſimplex apprehenſio poſſunt eſſe de eodem, quia ſunt ſubordinata, & quia non inducunt in intellectu effectus privativè oppoſitos. Ad 2. autem probat. diſt. ant. intellectus poteſt verſari circa idem objectum per diverſa media in actu ſignato, con. in actu exercito, neg. ratio eſt quia diverſa media poſſunt ſumi duobus modis; in actu ſignato, & in actu exercito. Sumuntur in actu exercito, quando ſunt rationes formales aſſentiendi concluſioni; ita ut per illa intellectus aſſentiatur alicui concluſioni: ſumuntur vero in actu ſignato, quandò per illa intellectus non fert abſolutè judicium de concluſione, ſed potiùs de connexione quam habet concluſio cum diverſis mediis, & & ſic dicendum quòd neque ſcientia, neque opinio poſſunt eſſe ſimul in actu exercito, nec medium contingens & neceſſarium, quia ſic eſſent rationes formales judiciorum oppoſitorum, hoc eſt efficerent illa diverſa media ut intellectus judicaret aliquid eſſe certum, & & per aliud judicaret aliquid eſſe incertum & contingens: ſcientia quidem & opinio poſſunt eſſe ſimul in eodem intellectu in actu ſignato, hoc eſt intellectus habens opinionem de aliquo objecto, deinde acquirens ſcientiam

de eodem, in illo remanet aliqua cognitio per quam cognoſcit ſe poſſe aſſentiri tali concluſioni per medium probabile, niſi haberet ſcientiam de eadem concluſione; non tamen de facto illi aſſentietur. Sic medium contingens, & medium neceſſarium poſſunt eſſe ſimul in actu ſignato, hoc eſt intellectus poteſt judicare talem concluſionem eſſe veram, ut ſubeſt tali medio, incertam verò & inevidentem, ut ſubeſt alteri medio.

Inſt. atqui illa repugnantia non ſe tenet ex parte actuum; ergo nulla ſolutio. Prob. ſubſ. duo actus contrarii poſſunt eſſe in voluntate; ergo & duo actus contrarii poſſunt eſſe in intellectu. Prob. ant. velle & nolle, gaudere & triſtari ſunt actus contrarii: atqui illi actus fuerunt in voluntate Chriſti circa mortem; ſiquidem volebat mortem, & gaudebat de morte, ut erat quid bonum ad gloriam Dei, & ad hominum ſalutem; nolebat autem mortem, & triſtabatur de morte, ut erat malum naturæ; ergo duo actus contrarii poſſunt eſſe in voluntate.

Reſp. neg. ſubſ. ad cujus, prob. neg. ant. & diſt. min. duo actus contrarii fuerunt in voluntate Chriſti circa diverſa objecta, con. circa idem objectum, neg. quia ipſa mors habebat rationem diverſorum objectorum, quatenus ſub diverſis formalitatibus concipiebatur à Chriſto, nam gaudere de morte quatenus erat ad ſalutem hominum, & triſtari de morte, quatenus erat malum naturæ, ſunt diverſa objecta formaliter, licet ſint idem materialiter.

Obj. 2. eodem modo opponuntur ſcientia,

& opinio, quo ſcientia infuſa & ſcientia acquiſita: atqui ſcientia infuſa & ſcientia acquiſita poſſunt eſſe in eodem intellectu; ergo ſcientia & opinio poſſunt eſſe in eodem intellectu. Prob. maj. ſcientia & opinio opponuntur ſecundum perfectum & imperfectum, ſecundum clarum & obſcurum: atqui ſcientia infuſa & ſcientia acquiſita opponuntur ſecundum perfectum & imperfectum; ſiquidem ſcientia infuſa eſt perfectior ſcientiâ acquiſitâ; ergo ſcientia & opinio opponuntur eodem modo quo ſcientia infuſa & acquiſita.

Reſp. neg. maj. & diſt. maj. ſcientia & opinio opponuntur ſecundum perfectum & imperfectum intrinſecè, conc. extrinſecè, neg. ſimiliter diſtinguenda eſt min. prop. atqui ſcientia infuſa & ſcientia acquiſita opponuntur ſecundum perfectum & imperfectum extrinſecè, conc. intrinſecè, neg. quia ſcientia acquiſita non eſt imperfecta & obſcura niſi extrinſecè & comparativè ad ſcientiam infuſam; cùm ſit ab intrinſeco certa & evidens; & ita eſt compatibilis cum ſcientiâ beatâ; cum autem opinio ſit intrinſecè & abſolutè incerta & inevidens, non poteſt ſimul ſtare cum ſcientiâ.

Obj. 3. D. Thom. Apoſt. habuit ſcientiam ſimul & fidem de Chriſto, juxta illud Evang. *Vidiſti & credidiſti*; ergo ſcientia & fides poſſunt eſſe ſimul.

Reſp. diſt. ant. D. Thom habuit ſcientiam & fidem de Chriſto ſecundum diverſa, conc. ſecundum idem, neg. quia (ut inquit D. Greg. magnus) *Aliud vidit & aliud credidit, vidit*

hominem & credidit Deum, vidit humanitatem & credidit reſurrectionem.

Obj. 4. Philoſophus paganus habens ſcientiam de exiſtentiâ Dei, poteſt converti: atqui non poteſt converti niſi ſimul habeat fidem de eâdem exiſtentiâ Dei; nam (inquit D. Paul. Epiſt. ad hæb.) *accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt*; ergo in illo caſu ſcientia & fides erunt ſimul.

Reſp. diſt. min. non poteſt converti niſi habeat fidem quantum ad animi promptitudinem & præparationem, conc. quantum ad actualitatem & exercitium, neg. ratio eſt, quia ſufficit eum eſſe in preparatione animi ad firmiter credendum illam veritatem ut revelatam à Deo, ſi illam non cognoſceret evidenter per ſcientiam.

Inſt. experientiâ conſtat Philoſophum factum fidelem, firmius & certius adhærere huic veritati, quam dum erat infidelis; ergo ſignum eſt ipſum acquiſiviſſe fidem ſecundum actualitatem.

Reſp. diſting. conſeq. ſignum eſt illum acquiſiviſſe fidem ſecundum actualitatem quantum ad alios articulos fidei, conc. quantum ad iſtum, neg. quia ex conjunctione cum habitu fidei quantum ad alios articulos, v. g. quantum ad Trinitatem, Incarnationem Verbi Divini, & hujuſmodi, roboratur illa ſcientia, quatenus ex fide relinquitur quoddam judicium, quod ea quæ ſunt fidei, ſunt certiora omni naturali cognitione.

Inſt. iterum: atqui habet fidem quantum ad articulum de exiſtentiâ; ergo nulla data

ſolutio. Prob. ſubſ. ſi non haberet fidem; ſequeretur quòd ruſticus eſſet nobilioris conditionis, quam Philoſophus: atqui illud non poteſt dici; ergo &c. Prob. ſequ. maj. ille eſt nobilioris conditionis, qui habet majorem & fortiorem certitudinem: atqui ruſticus haberet majorem certitudinem; ergo eſſet nobilioris conditionis. Prob. min. illa certitudo eſt major & certior quæ provenit à fide, quam illa quæ provenit à ſcientiâ: atqui ruſticus haberet certitudinem provenientem à fide, & Philoſophus haberet certitudinem provenientem à ſcientiâ; ergo ruſticus haberet majorem certitudinem quàm Philoſophus.

Reſp. neg. ſubſ. ſeq. maj. min. & diſt. maj. certitudo proveniens à fide eſt major quam certitudo proueniens à ſcientiâ ſolâ, conc. à ſcientia verò unitâ cum fide & confortatâ authoritate dicentis, neg. ratio eſt, quia Philoſophus ſcit Deum eſſe per divinam authoritatem & demonſtrationem ſcientificam, unde confortatur ſcientia Philoſophi à divina authoritate à quâ recipit certitudinem ſupernaturalem; nam ſicut qui faceret demonſtrationem, & ab aliquo magnæ ſcientiæ viro videret ipſam approbari, ſine dubio roboraretur in ſuâ demonſtratione, intelligens eam à deceptione immunem. Ita cùm videat Philoſophus veritatem ſuæ demonſtrationis à divinâ fide probari, maximè in eâ roboratur.

Obj. 5. Philoſophus Chriſtianus acquirens ſcientiam de Deo ut auctore naturæ, non poteſt amittere fidem quantùm ad iſtum

articulum; ergo in illo caſu ſcientia & fides ſunt ſimul. Prob. ant. ſi amitteret quantùm ad iſtum articulum, amitteret quantùm ad omnes: atqui non poteſt dici quòd amittat quantùm ad omnes; ergo non poteſt dici quòd amittat quantùm ad iſtum. Prob. maj. fides eſt indiviſibilis; ergo non poteſt amittere quantùm ad iſtum, niſi amittat quantùm ad omnes.

Reſp. neg. ant. & maj. & diſt. ant. fides eſt indiviſibilis intrinſecè, con. extrinſecè & terminativè, neg. ratio eſt, quia fides ceſſat ſecundùm extenſionem, cum non inclinet proximè intellectum ad aſſentiendum illi articulo, ut revelato, nec tamen ſequitur quod ille Philoſophus ſit infidelis, quia eſt ſemper in præparatione animi ad habendam fidem quantùm ad iſtum articulum, ſi non cognoſceret evidenter per ſcientiam.

Obj. ult. quando D. Paulus raptus eſt in Paradiſum, habuit ſcientiam beatam, & fidem; *Vidit* enim *quæ non licet homini loqui*; ergo cum ab actu ad potentiam valeat conſequentia, ſequitur quòd ſcientia & fides poſſunt eſſe ſimul.

Reſp. diſt. ant. habuit ſcientiam in ſtatu tranſeunti, con. in ſtatu permanenti, neg. ratio eſt quia ille actus quo Divus Paulus in raptu vidit eſſentiam Divinam, non potuit expellere fidem.

Inſt. incompoſſibilitas duorum extremorum provenit ex naturâ oppoſitionis, non autem ex diuturnitate temporis; ergo ſi ſcientia & fides poſſint eſſe ſimul in ſtatu tranſeunti, poſſunt etiam eſſe ſimul in ſtatu permanenti.

Reſp. diſt. ant. incompoſſibilitas duorum extremorum non provenit ex diuturnitate temporis primariò & per ſe, con. ſecundariò & per accidens, ſive tanquam à conditione, neg. ratio eſt quia tunc formæ contrariæ ſe expellunt à ſubjecto, quando ſunt perfectæ, non quando ſunt in ſtatu imperfecto & remiſſo, eo quod forma ſi ſit in ſtatu perfecto ſubjicit ſibi perfectè indifferentiam ſubjecti, & non permittit relinqui potentiam ad oppoſitum; ideò oportet quod habitus evidens expellens obſcurum, perfectè ſubjectum informet, & inde eſt quod lumen gloriæ, niſi detur in ſtatu perfecto, non expellit habitum fidei, quia non datur modo habituali ſed per modum tranſeuntis; & ita docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 175. art. 3. ad 3. quod, *Illud lumen gloriæ quod Paulo datum fuit, quando vidit in raptu Divinam eſſentiam, non evacuavit habitum fidei, quia non fuit datum per modum habitus.*

ARTICULUS ULT.

De voluntate.

DIcendum eſt voluntatem eſſe appetitum naturalem, ſive facultatem animæ rationalis, quæ fertur in bonum apprehenſum & manifeſtatum per intellectum.

Prob. & expl. 1. dicitur appetitus, ſive inclinatio, quâ anima fertur in bonum propo-

INDEX TITULORUM.

ETHICA, SIVE MORALIS.

QUÆSTIO PROEMIALIS.

De Ethica, ſive Philoſophia Morali.
ART. UNIC. *Quid, & quotuplex ſit Philoſophia moralis.* 2

TRACTATUS I.

De fine ultimo actuum humanorum. 6

QUÆSTIO I.

De fine ultimo actuum humanorum in communi. ibid.
ART. I. *An detur finis ultimus rerum omnium, & an Deus ſit ipſe finis ultimus.* 7
ART. II. *Vtrùm peccator per ſuum peccatum mortale conſtituat ſuum finem ultimum in creaturâ.* 9
ART. III. *Vtrùm peccans venialiter conſtituat finem ultimum in creaturâ.* 13
ART. ULT. *Vtrùm idem homo appetere poſſit duos fines totales.* 17

QUÆSTIO II.

De beatitudine objectivâ. 20
ART. I. *Quid ſit beatitudo objectiva.* 21
ART. II. *Vtrùm beatitudo conſiſtat in bonis animæ, corporis, & fortunæ.* 22
ART. ULT. *Vtrùm beatitudo conſiſtat in bono increato.* 24

QUÆSTIO III.

De beatitudine formali. 25

ART. I. *In quo conſiſtat beatitudo formalis hujus, vitæ tam naturalis quàm ſupernaturalis* 26
ART. II. *Vtrùm beatitudo ſupernaturalis patriæ conſiſtat in increata viſione Dei.* 28
ART. III. *Vtrùm beatitudo formalis conſiſtat in illapſu.* Contra Henricum Gandavenſem. 32
ART, IV. *Vtrùm beatitudo formalis conſiſtat in operatione voluntatis.* Contra Scotum. 34
ART. V. *Vtrùm beatitudo formalis conſiſtat in plurimis operationibus.* Contra nonnullos recentiores. 39
AAT. VI. *Vtrùm beatitudo formalis conſiſtat in operatione intellectus.* Juxta mentem Sancti Thomæ. 40
ART. VII. *In quo conſiſtat ſumma hominis infelicitas.* 41
ART. VIII. *De naturâ ignis inferni quo damnati torquentur.* 43
ART. ULT. *Quomodo ignis inferni torqueat damnatorum animas.* 49

TRACTATUS II.

De Principiis actionum humanarum. 51

QUÆSTIO I.

De voluntario. 52
ART. I. *Quid, & quotuplex ſit voluntarium.* ibid.
ART II. *Vtrùm violentia poſſit inferri voluntati quantum ad actus elicitos & imperatos.* 55
ART. III. *Vtrùm creaturæ inanimatæ poſſint à Deo violentiam pati.* 56

ART. IV. *Vtrùm violentia cauſet involuntarium.* 57

ART. V. *Vtrùm metus cauſet involuntarium.* 59

ART. VI. *Vtrùm ignorantia cauſet involuntarium.* 61

ART. ULT. *Vtrùm concupiſcentia cauſet involuntarium.* 65

QUÆSTIO II.

De libero. 69

ART. I. *Quotuplex ſit libertas.* *ibid.*

ART. II. *Quænam ſit vera & formalis ratio libertatis,* 69

ART. III. *Vtrùm libertas indifferentiæ, conveniat Chriſto circa mortem, & beatis circa amorem.* 75

ART. IV. *De radice & ſubjecto libertatis.* 84

QUÆSTIO III.

De præmotione Phyſica. 85

ART. I. *De concurſu ſimultaneo.* *ibid.*

ART. II. *Vtrum detur concurſus prævius, ſive promotio Phyſica.* 88

ART. III. *Quid ſit præmotio Phyſica.* 97

ART. IV. *Vtrum præmotio Phyſica repugnet Doctrinæ Sancti Thomæ.* 101

ART. V. *Vtrum præmotio Phyſica repugnet Conciliis, Sanctorum Patrum Doctrinæ, & Sacræ Scripuræ auctoritatibus.* 104

ART. IV. *Vtrum præmotio Phyſica tollat libertatem.* 109

ART. VII. *Vtrum operatio Phyſica faciat Deum authorem peccati.* 117

QUÆSTIO IV.

De paſſionibus. 131

ART. I. *De naturâ paſſionum.* *ibid.*

ART. II. *Quâ in parte corporis anima paſſiones ſuas recipit.* 153
ART. III. *De numero paſſionum.* 136
ART. IV. *Vtrùm paſſiones ſint bonæ, vel malæ moraliter.* 137

TRACTUS III.

De actionibus humanis. 140

QUÆSTIO I.

De actionibus humanis tam in communi, quàm in particulari. ibid.
ART. I. *Quid, & quotuplex ſit moralitas actuum humanorum.* 141
ART. II. *Vtrùm moralitas actuum humanorum ſumatur ab objecto, & circumſtantiis.* 143.
ART. III. *Vtrùm dentur actus indifferentes, tum in ſpecie, tum in individuo.* 144
ART. IV. *Vtrùm ex duobus bonis voluntas poſſit eligere minus bonum relicto majori, vel ſaltem æquali.* 150
ART. ULT. *Vtrùm omnia infidelium opera ſint peccata.* 154

QUÆSTIO ULTIMA.

De virtutibus. 157
ART. I. *De definitione virtutis.* ibid.
ART. II. *Vtrùm virtus conſiſtat in medio.* 159
ART. III. *De cauſâ efficiẽte & ſubjecto virtutum.* Contra Platonicos, Avincennam, & Scotum. 162
ART. ULT. *Vtrùm virtutes ſint inter ſe connexæ.* 165

FINIS.

ETHICA,

SIVE

MORALIS

Secundum Illibatam Sancti Thomæ Doctrinam.

Diſtributio totius Moralis.

PRÆMISSA quæſtione Proœmiali, tota Ethica in tres tractatus dividetur. In 1. agetur de fine ultimo actuum humanorum, ſive moralium: In 2. Diſputabitur de principiis actuum humanorum qui ad comparandam beatitudinem ſunt neceſſarii: In 3. denique de ipſis actibus humanis.

QUÆSTIO PROEMIALIS.

De Ethica ſive Philoſophiâ Morali.

IN iſtâ quæſtione quæretur an moralis ſit neceſſaria ad benè, beatéque vivendum: an ſit ſcientia practica, vel ſpeculativa; quomodo dividatur, & quodnam ſit illius objectum, quæ omnia in unico articulo exponentur.

ARTICULUS UNICUS.

Quid, & quotuplex ſit Philoſophia Moralis.

DIcendum eſt 1. Philoſophiam Moralem conſideratam in ſtatu imperfecto, hoc eſt in illo ſtatu in quo non præſupponit Logicam, eſſe ſimpliciter neceſſariam ad benè, beateque vivendum.

Prob. cognitio præceptorum de honeſtâ vitâ inſtituendâ ad benè vivendum eſt neceſſaria ſimpliciter, quia voluntas non fertur niſi in bonum cognitum: atqui talis cognitio præceptorum traditur ab Ethicâ, docet enim in quo conſiſtat hominis felicitas, quo modo

poſſit aquiri, & docet quomodo debeant exerceri virtutum actus; ergo Philoſophia moralis in ſtatu imperfecto cōſiderata eſt ſimpliciter neceſſaria ad benè,beatéque vivendū.

Dicendum eſt 2. Philoſophiam Moralem eſſe ſcientiam propriè dictam, diſtinctam realiter à prudentiâ.

Prob. 1. pars con. illa facultas eſt ſcientia propriè dicta quæ habet demonſtrationes: atqui Philoſophia moralis habet demonſtrationes, demonſtratur enim in morali virtutem eſſe amandam, & vitium eſſe reprimendum, iſtis demonſtrationibus. Quod rectæ rationi convenit,eſt amandum: ſed virtus rectæ rationi convenit; ergo eſt amanda. Similiter quod rectam rationem turbat, eſt reprimendum: atqui vitium rectam rationem turbuat; ergo vitium eſt reprimendum; ergo Philophia moralis eſt ſcientia propriè dicta.

Prob. 2. pars concl. illi habitus diſtinguntur realiter qui habent objecta formaliter diverſa: atqui Philoſophia Moralis, & prudentia habent objecta formaliter diverſa; ergo diſtinguntur realiter. Prob. min. prudentia verſatur circa actiones humanas in particulari, moralis verò actiones humanas in communi dirigit & conſiderat: ſed conſiderare actiones humanas in communi & in particulari, eſt habere objecta formaliter diverſa; ergo prudentia, & moralis habent objecta formaliter diverſa. Prætereà illi habitus diſtinguntur realiter quorum unus eſt ſine alio: atqui prudentia eſt aliquando ſine morali, & moralis ſine prudentia reperitur; ergo diſtinguntur realiter.

Prob. min. multi ſunt Philoſophi morales qui nullam habent prudentiam, qui ſunt mali & vitioſi, non facientes ea quæ ſciunt per moralem; ideo Ariſto. 2. Ethi. dicit, *Scire, parum vel nihil prodeſt ad virtutem, quia multi non operantur ea quorum ſcientiam habent*, & ideò ob eandem cauſam exclamat Divus Auguſtinus, *Indocti rapiunt cœlum & nos cum noſtrâ Doctrinâ in profundum mergimur*. Experientiâ etiam conſtat plurimos eſſe prùdentes viros qui nuſquam ſtuduerũt Philoſophiæ morali; ergo Philoſopia moralis reperitur aliquando ſine prudentia & prudentia ſine Philoſophiâ morali; ergo diſtinguntur realiter.

Dicendum eſt 3. Philoſophiam Moralem eſſe ſcientiam practicam.

Prob. illa ſcientia eſt practica quæ verſatur circa praxim: atqui Philoſophia Moralis verſatur circa praxim, ſiquidem verſatur circa operationes voluntatis quibus convenit praxis, ut dictum fuit in Logicâ; ergo Philoſophia Moralis eſt ſcientia practica.

Dicendum eſt 4. Philoſophiam Moralem adæquatè dividi in monaſticam ſive privatam; in œconomicam ſive domeſticam; & in politicam, ſive civilem.

Prob. & expl. talis diviſio: Moralis inſtitutum eſt honeſtæ vitæ rationem docere & actiones humanas ad bonum & ad virtutes dirigere; ergo tot debent dari Philoſophiæ Moralis partes, quot modis homo poteſt dirigi & inſtitui: atqui homo poteſt dirigi & inſtitui tribus modis; ergo debent dari tres Philoſophiæ Moralis partes. Prob. min. tot

modis homo poteſt dirigi, quot modis poteſt conſiderari; atqui tribus modis poteſt conſiderari, ſive in triplici ſtatu. 1. In ſe abſolutè, ſeu ut eſt perſona privata. 2. Ut eſt pars domeſticæ familiæ: 3. Ut eſt membrum totius reipublicæ. Privatum hominem optimè inſtituit Ethica monaſtica. Hominis ut partis familiæ mores componit moralis domeſtica. Hominem verò ut membrum reipublicæ, dirigit moralis politica.

Dicendum eſt ult. objectum formale & adæquatum moralis eſſe actiones humanas ut dirigibiles ad honeſtum finem, ſive ad finem ſimpliciter ultimum.

Prob. illud eſt objectum formale & adæquatum alicujus ſcientiæ, quod per ſe à ſcientiâ conſideratur, & ad quod reducuntur omnia quæ tractantur in ipſâ ſcientiâ: atqui actiones humanæ ut dirigibiles ad honeſtum & finem ſimpliciter ultimum, conſiderantur per ſe à Philoſophiâ Morali. Et omnia, quæ tractantur in Philoſophiâ Morali reducuntur ad actiones humanas, ut dirigibiles; ergo actiones humanæ ut dirigibiles ſunt objectum formale & adæquatum moralis. Prob. min. quidquid conſideratur à morali, vel ſunt ipſi actus ut dirigibiles, vel eorum finis, qualis eſt beatitudo, vel eorum principia activa, ut virtutes; ergo omnia quæ tractantur in Philoſophiâ Morali reducuntur ad actiones humanas.

TRACTATUS I.

De fine ultimo actuum humanorum.

CUm finis ſit illud quod primario intenditur, prius agendum de fine, quã de principiis actuum humanorum. Agendum ergo de fine in communi & in particulari in tribus quæſtionibus; in quarum prima agetur de fine in communi. In 2. de beatitudine objectiva. In 3. de beatitudine formali.

QUÆSTIO I.

De fine ultimo actuum humanorum in communi.

CUm jam plurima dicta fuerint de cauſa finali in prima parte Phyſicæ, quædam tantum dicenda ſuperſunt.

ARTICULUS I.

An detur finis ultimus rerum omnium, & an Deus ſit ipſe finis ultimus.

DIcendum eſt 1. dari ultimum finem rerum omnium.

Prob. ille eſt ultimus finis qui propter ſe deſideratur,& propter quem alii fines deſiderantur: atqui debet dari finis qui propter ſe deſideretur, & propter quem deſiderentur alii fines; ergo debet dari finis ſimpliciter ultimus. Prob. min. ſi omnibus finibus ordinatis non detur omnium finium finis ultimus qui non tendat ad alium, daretur proceſſus in infinitum, quia acquiſito tali fine, adhuc deſideraretur alius, & alius in infinitum: atqui non poteſt dari proceſſus in infinitum; ergo debet dari finium omnium finis ultimus.

Dicendum eſt 2. & ult. illum finem ſimpliciter ultimum eſſe Deum.

Prob. bonum poteſt habere tantùm rationem finis. Ergo maximum bonum habet rationem finis maximi & ſimpliciter ultimi: atqui ſummum bonum eſt Deus;ergo Deus habet rationem finis ſimpliciter ultimi.

Obj. ſi Deus eſſet finis omnium rerum, ſequeretur quòd peccans mortaliter referret

ſuum peccatum ad Deum : atqui peccans mortaliter non poteſt referre ſuum peccatum mortale ad Deum ; ergo Deus non eſt finis ſimpliciter ultimus rerum omnium.

Reſp. diſt. ſeq. maj. peccans mortaliter referret ſuum peccatum ad Deum, quantùm ad materiale, con. quantùm ad formale, neg. hujus diſtinctionis explicatio patebit ex dicendis ubi agemus de præmotione Phyſicâ.

Inſt. atqui peccatum non poteſt etiam referri ad Deum quantùm ad materiale ; ergo nulla ſolutio. Prob. ſubſ. quod avertit à Deo non poteſt referri ad Deum: atqui entitas peccati avertit à Deo ; ergo non poteſt referri ad Deum.

Reſp. neg. ſubſ. ad cujus prob. diſt. maj. quod avertit à Deo, non poteſt referri ad Deum, ſecundum illud quod avertit à Deo, con. ſecundum illud quod non avertit, neg. ſimiliter diſtinguenda eſt minor propoſitio: atqui peccatum avertit à Deo, ſecundum formale, con. ſecundùm materiale, neg. diſtintionis etiam explicatio patebit ex dicẽdis.

Inſt. iterum : atqui homo poteſt etiam efficere ne peccatum referatur ad Deum ſecundum materiale ; ergo nulla ſolutio. Prob. ſubſ. agens liberum poteſt invertere ordinem quem res habet à naturâ : atqui homo eſt agens liberum; ergo homo intentione ſuâ poteſt efficere ut entitas peccati non referatur ad Deum.

Reſp. neg. ſubſ. ad cujus prob. diſt. maj. agens liberum poteſt invertere ordinem quem res habet à naturâ, moraliter, con.

Phyſicè, neg. quia invertere ordinem Phyſicè, eſt deſtruere ordinem tranſcendentalem quem dicit entitas peccati ad Deum; homo autem non deſtruit talem ordinem, quia non deſtruit entitatem actus peccaminoſi, imo potius illam admittit; ergo non deſtruit talem ordinem, qui nihil aliud eſt quàm ipſamet entitas: invertere autem moraliter ordinem, eſt velle impedire ne talis entitas quæ ex naturâ ſuâ ordinatur ad Deum, non referatur ad ipſum, illud autem conatur efficere peccator, quia illũ actum ordinat ad creaturam, ut probabitur in ſequenti articulo.

ARTICULUS II.

Vtrùm peccator per ſuum peccatum mortale conſtituat ſuum finem ultimum in creaturâ.

NOtandum eſt aliquid poſſe ordinari ad Deum duobus modis, ſcilicet ex parte operantis, & ex parte ipſius operis; aliquid ordinatur ad Deum ex parte operantis, quando ſcilicet operans ex deliberatâ intentione ordinat opus ad Deum: illud verò dicitur ordinari ad Deum ex parte operis quod abſque ullâ intentione operantis ſemper ordinatur ad Deum.

Dicendum eſt quòd ſi peccatum mortale conſideretur ex parte peccatoris operantis,

peccans mortaliter conſtituit ſuum finem ultimum in creaturâ.

Prob. ille qui conſtituit majorem bonitatem in creaturâ quàm in Deo, conſtituit finem ſuum ultimum in creaturâ: atqui homo peccans mortaliter, conſtituit majorem bonitatem in creaturâ quàm in Deo; ergo conſtituit ſuum finem ultimum in creaturâ. Major eſt evidens quia illud habet rationem finis quod habet bonitatem, & illud habet majorem bonitatem, quod præcipuè movet voluntatem. Prob. min. ille conſtituit majorem bonitatem in creaturâ, qui creaturam præfert Deo: atqui peccans mortaliter præfert creaturam Deo; ergo conſtituit majorem bonitatem in creaturâ. Prob. min. ille qui peccat mortaliter, facit contra præceptum Divinum quo Deus in tali vel tali circumſtantiâ prohibet amorem hujus creaturæ ſub pœnâ ignis æterni, peccator tamen eligit illas pœnas & non vult deſerere creaturam quam inordinatè diligit; ergò peccans mortaliter præfert creaturam Deo.

Obj. 1. peccans mortaliter non putat rationem ſummi boni eſſe in creaturâ; ergo non conſtituit ſuum finem ultimum in creaturâ.

Reſp. diſt. ant. peccans mortaliter non putat ſpeculativè, rationem ſummi boni eſſe in creaturâ, con. non putat practicè, neg. quia peccator non putat ſpeculativè rationem ſummi boni competere creaturæ, quia ſic eſſet infidelis vel hæreticus; putat tamen practicè & interpretativè, quatenus amat plus creaturam quàm Deum, & ſatius eſt illi ſuam propriam voluntatem facere, quàm Divinum Præceptum exequi.

Obj. 2. peccans mortaliter non conſtituit ſuum finem ultimum in creaturâ, ſi peccando non amet plus creaturam, quàm Deum: atqui aliquando peccans mortaliter non amat plus creaturam quàm Deum; ergo non conſtituit ſuum finem ultimum in creaturâ. Prob. min. aliquis habens fidem, & paratus pro confeſſione fidei mori, poteſt peccare mortaliter furando, pro quo furto nollet vitam ſuam periculo exponere: atqui in illo caſu peccans mortaliter amat plus Deum, quàm creaturam; ergo aliquis peccans mortaliter poteſt plus amare Deum, quàm creaturam.

Reſp. diſt. maj. non conſtituit ſuum finem ultimum totius vitæ, con. non conſtituit in creaturâ ſuum finem ultimum illius peccati hoc eſt furti, neg. quia quando dicimus quòd peccans mortaliter conſtituit ſuum finem ultimum in creaturâ, non eſt intelligendum quòd conſtituat in creaturâ ſuum finem ultimum totius vitæ, quia ſic opera totius vitæ ſuæ eſſent mortalia, utpote relata & ordinata ad creaturam tanquam ad ultimum finem, ſed tantùm conſtituit in creaturâ finem illius peccati, quod non impedit quominus poſſit inefficaciter ſaltem & imperfectè conſtituere Deum finem ultimum alterius actionis particularis; & ita qui peccat mortaliter furando, poteſt rationem finis ultimi reſervare deo pro defenſione fidei.

Obj ult. qui peccant mortaliter ex zelo inordinato, non plus amant creaturam, quàm Deum, ergo non conſtituunt ſuum finem ultimum in creaturâ. Prob. ant. peccatum quod

committunt, provenit ex amore Dei ; *Arbitrantur enim ſe obſequium præſtare Deo,* ut dicitur Joannis 16. ergo non plus amant creaturam, quàm Deum.

Reſp. neg. utrumque ant. quia peccatum quod committunt ex imprudenti zelo, non provenit ex dilectione Dei, ſed ex inordinato amore ſui ; ſiquidem propter inordinatum ſui amorem, qui peccat ex zelo, negligit diſquirere veram Dei voluntatem, & ita virtualiter ſaltem ſuo aſſenſu præfert creaturam Deo.

Inſt. atqui peccatum ex zelo, provenit ex amore Dei ; ergo nulla ſolutio. Prob. ſubſ. Divus Paulus ante converſionem ex zelo legem impugnando, peccabat : ſed peccatum Pauli commiſſum ex zelo, proveniebat ex amore Dei ; ergo peccatum ex zelo commiſſum provenit ex amore Dei. Prob. min. Divus Chryſologus loquens de Paulo Sermone centeſimo quinquageſimo ſeptimo ait, *per zelum legis legem impugnabrt , & in Deum Dei amore peccabat* ; ergo peccatum Pauli commiſſum ex zelo proveniebat ex amore Dei.

Reſp. neg. ſubſ. & min. & ad prob. diſt. auth. in Deum peccabat, Dei amore ficto & falſo, con. Dei amore vero, neg. quia Paulus ſuam crudelitatem conabatur prætexere quadam Divini amoris ſpecie, qui verus amor nullomodo erat in ipſâ Pauli voluntate ; ſiquidem perſequebatur Eccleſiam , non ut Deo placeret, ſed ut ſibi ſatisfaceret, & maximam apud omnes gloriam ſibi compararet ; peccatum ergo quod committebat Paulus,

lus, ſ provenicbat ex inordinato gloriæ amore.

ARTICULUS III.

Utrum peccans venialiter conſtituat ſuum finem ultimum in creaturâ.

Notandum eſt peccatum veniale eſſe illud cui non gravis pœna, qualis eſt privatio gratiæ, & gloriæ, ſed levis debet correſpondere, & cui patet locus veniæ etiam in alterâ vitâ. Conſtat autem, contra hæreticos, dari plurima peccata venialia; nam ut docet S. Thom. 1. 2. quæſt. 88. *Peccatum eſt animæ ægritudo*; ergo ſicuti dantur ægritudines corporales quæ mortem corpori afferunt, ita dantur quæ mortem corpori non afferunt; ſic dantur peccata quæ mortem animæ afferunt, ut ſunt peccata mortalia; dantur etiam alia peccata quæ mortem animæ non afferunt, & illa ſunt peccata venialia.

Dicendum eſt peccantem venialiter non conſtituere ſuum finem ultimum in creaturâ.

Prob. ſi peccans venialiter conſtitueret ſuum finem ultimum in creaturâ, ſequeretur quòd peccatum veniale eſſet mortale: atqui illud non poteſt dici; ergo nec aliud. Prob. ſeq. maj. illud peccatum eſt mortale, quod quantùm eſt ex ſe, & ex effectu peccantis vellet quaſi interimere & adnihilare ipſum Deum: atqui peccatum quod conſtituit ſuum finem ultimum in creaturâ, vellet quantum

eſt ex ſe interimere & adnihilare ipſum Deum; ergo peccatum quod conſtituit ſuum finem ultimum in creaturâ eſt mortale. Major eſt evidens. Prob. min. peccatum quod conſtituit ſuum ultimum finem in creaturâ, tollit à Deo illud quod eſt divinitatis, hoc eſt rerum finis ultimi, ut tribuat creaturæ: atqui tollere à Deo quod eſt divinitatis, eſt, ipſum Deum quaſi interimere & adnihilare, ergo peccatum quod conſtituit ſuum ultimum finem in creaturâ, vellet quaſi adnihilare ipſum Deum, & conſequenter illud peccatum eſſet mortale.

Obj. 1. peccatum veniale non poteſt referri ad Deum; ergo peccans venialiter non conſtituit ſuum finem ultimum in Deo, ſed in creaturâ.

Reſp. diſt. ant. peccatum veniale non poteſt referri ad Deum, neque virtualiter neque actualiter, con. non poteſt referri ad Deum habitualiter, neg. quia peccatũ veniale referri ad Deum virtualiter, vel actualiter, eſt Deum eſſe cauſam finalem peccati venialis; Deus autem non poteſt eſſe cauſa finalis peccati venialis, quia de ratione cauſæ finalis eſt movere, & Deus non poteſt movere ad peccatum veniale quantum ad formale; ergo peccatum veniale non poteſt referri ad Deum neque virtualiter, neque actualiter ſed tantùm refertur habitualiter, quæ ſententia diverſimodè ſolet explicari. Cajetanus dicit peccatum veniale referri ad Deum habitualiter, quia peccatum veniale non deſtruit habitum charitatis, qui habitus charitatis ex naturâ ſuâ poteſt omnia quæ fiunt

à juſto, referre ad Deum, etiam peccatum veniale, ſi ipſum peccatum poſſit referri: unde ſi charitas non referat actu ad Deum peccatum veniale, illud non ſe tenet ex defectu charitatis, ſed ex defectu ipſius peccati quod non poteſt recipere talem relationem alii dicunt peccatum veniale in juſto referri ad Deum habitualiter, quia peccatum veniale refertur ad proprium & privatum peccantis bonum, quod bonum in juſto per habitum charitatis habitualiter eſt relatum ad Deum. Alii verò hanc ſenēttiam quadam ſimilitudine explicant; nam ſicut qui offert munus aliquod, affert ſimul & paleas, & pulverem & alia quæ cum munere involvuntur; ita ſiquis eſt in gratiâ conſtitutus, ſe & omnia ſua per charitatem refert ad Deum habitualiter, refert & ipſa peccata venialia.

Inſt. atqui, ſi peccata venialia referrentur ad Deum, eſſent opera meritoria, quia omnis actio quæ refertur ad Deum tanquam ad ultimum finem, eſt bona & meritoria: atqui non poteſt dici quòd peccatum veniale ſit bonum & meritorium; ergo non poteſt dici quod peccatum veniale referatur ad Deum.

Reſp. neg. ſequel. maj. & diſt. ejus Prob. omnis actio quæ refertur ad Deum actu, eſt bona & meritoria, con. quæ refertur ad Deum habitualiter tantùm, neg. quia dato etiam quòd peccata venialia referrentur ad Deum per actū charitatis, illa peccata non eſſent bona & meritoria, quia talis ordinatio eſſet ſolùm extrinſeca & erronea ſeu malè applicata, quia applicaretur ſubjecto malè, & conſe-

quenter incapaci talis relationis ; ergo cum peccata venialia non eſſent bona, licet referrentur ad Deum actu,à fortiori non ſunt bona cum referantur tantùm habitualiter.

Obj. 2. creatura quam peccans venialiter diligit, eſt finis ultimus peccantis venialiter ſi tantùm amet quia de ratione finis ultimi eſt non ordinari ad alium propter ſeipſam atqui peccans venialiter amat tantùm creaturam propter ipſam; ergo creatura eſt finis ultimus peccantis venialiter, Prob. min. peccans venialiter non ordinat talem creaturam ad Deum, quia ſic poſſet dici quòd homo peccaret propter Deum; ergo creatura quam peccans venialiter diligit, non ordinatur ad alium finem.

Reſp. neg. min. & conſ. quia peccans venialiter non amat creaturam propter Deum, ſed propter bonum privatum, quia cum actus qui in homine juſto non imperantur à charitate, non habeant aliud principium in quo fundentur, quâm propriam operantis naturam, non poſſunt referri actualiter ad alium finem, quàm ab bonum proprium quod perficit talem naturam, aliàs non eſſet proportio inter principium & terminum inclinationis; ſed dicendum quòd bonum proprium & privatum eſt ultimus finis actualis peccantis venialer, non quidem finis ſimpliciter ultimus, quia de ratione finis ſimpliciter ultimi eſt, ut non tendat ad alium finem: atqui bonum proprium, ut terminat habitudinem peccati venialis refertur habitualiter ad alium finem, nempè Deum; ergo bonum proprium non eſt finis ſimpliciter ul-

rimus, ſed tantùm ſecundum quid, & ſolus Deus eſt finis ſimpliciter ultimus, quia neque actualiter, neque virtualiter ordinatur ad alium finem.

Obj. ult. peccans venialiter fruitur creaturâ quam diligit; ergo conſtituit ſuum finem ultimum in creaturâ, quia fruitio ſpectat ad finem & uſus ad media. Prob. ant. ex S. Auguſt. omnis perverſitas humana conſiſtit in hoc quòd homo velit uti fruendis, nempè Deo, vel frui utendis nempè creaturis: atqui homo per peccatum veniale non utitur fruendis, nempè Deo, quia ſic committeret peccatum mortale; ſiquidem uti Deo in ordinem ad creaturam eſt peccatum mortale; ergo fruitur creatura.

Reſp. neg.utr.ant.& diſt.aôth. S.Aug.omnis perverſitas mortalis conſiſtit in hoc quod homo velit uti fruendis,nempè Deo,& frui utẽdis, nempè creaturis, con. omnis perverſitas venialis, neg. quia, ut ait S. Thom. qui peccat venialiter, inhæret bono temporali, non ut fruens ſed ut utens.

ARTICULUS ULT.

Vtrùm idem homo appetere poſſit duos fines totales.

NOtandum eſt quòd ibi non loquimur de fine ſimpliciter ultimo; certum enim eſt unicum eſſe finem, nempè Deum; ſed

loquimur de fine ultimo quem operans ſibi conſtituit, nec quærimus utrùm idem homo poſſit habere ſucceſſivè plurimos fines totales, quia certum eſt illud poſſe fieri diverſis temporibus; nam juſtus habet Deum pro fine ultimo, & ſi peccet mortaliter habet creaturam pro fine ultimo. Quæritur ergo utrùm idem homo poſſit ſimul appetere duos fines totales & adæquatos.

Dicendum eſt eundem hominem non poſſe ſimul appetere duos fines totales & adæquatos.

Prob. de ratione finis ultimi eſt ſatiare hominis appetitum: atqui illud non poteſt ſimul convenire duobus finibus; ergo idem non poteſt ſimul appetere duos fines totales & adæquatos. Major patet, quia finis totalis & adæquatus eſt ille quem homo appetit ut complementum ſuorum deſideriorum, atque ideo ut bonum ſibi ſufficiens & planè ſatiativum extra quod nihil habeat appetendum. Prob. verò min. ſi eſſent duo fines totales, ſequeretur quòd eſſent totales, ut ſupponitur, & non eſſent, quia ille non eſt finis totalis qui totaliter non ſatiat appetitum: atqui quilibet ex finibus totaliter non ſatiaret appetitum, quia ſemper appetitus alium finem appeteret; ergo non eſſent totales.

Obj. 1. peccans mortaliter conſtituit ſuum finem ultimũ in creaturâ: atqui idem homo poteſt ſimul & ſemel committere duo peccata mortalia, v. g. occidere viatorem, & furari; ergo peccans mortaliter intendit duos fines totales & adæquatos.

Reſp. diſt. conſeq. peccans mortaliter in-

tendit duos fines entitativè & materialiter totales, con. formaliter totales, neg. quia licet illa duo ſeorſim ſumpta, v. g. vita proximi, & bona proximi poſſint totaliter attrahere & allicere voluntatem peccantis mortaliter, non ſunt tamen duo fines totales formaliter, quia conveniunt in una ratione alliciendi & attrahendi voluntatem.

Obj. 2. idololatra intendit agendo duos fines totales & adæquatos; ergo idem homo poteſt appetere duos fines totales & adæquatos. Prob. ant. idololatra plurimos veneratur Deos: atqui idololatra agendo agit propter illos Deos tanquam propter ultimos fines; ergo idololatra agendo intendit plurimos fines totales & adæquatos.

Reſp. neg. ant. ad cujus, prob. diſt. min. idololatra agit propter Deos tanquam propter ultimos fines partiales, con. totales, neg. quia illi Dii faciunt tantùm unicum finem totalem & adæquatum, vel etiam poteſt dici quòd ex illis Diis aliquem ſibi determinat quem maximo vult honore colere, & ad quem omnes alios Deos ordinat, & proinde ille Deus eſt ſolus finis ultimus.

Obj. ult. peccans mortaliter conſtituit ſuum finem ultimum in creaturâ: atqui ſemper pro fine ultimo habet Deum; ergo habet duos fines totales & adæquatos. Prob. min. homo non poteſt ordinare & ſubjicere Deum ad creaturam; ergo peccans mortaliter habet Deum pro fine ultimo.

Reſp. neg. min. ad cujus, prob. diſt. ant. peccans mortaliter non poteſt ſujicere Deum ad creaturam, Phyſicè & poſitivè, con. mo-

raliter & negativè, neg. quia per accidens eſt quòd peccans mortaliter non creaturæ ſubjiciat Deum Phyſicè & poſitivè, cùm Deus non ſit capax talis ſujectionis, hoc tamen facit moraliter & negativè, hoc eſt quantum eſt ex ſe.

QUÆSTIO II.

De beatitudine objectivâ.

TAnta fuit circa beatitudinem objectivam opinionum diverſitas, ut D. Auguſtinus referat ducentas octoginta ſententias. tamen ad tres claſſes poſſunt reduci juxta triplicem bonorum diviſionem; bona enim ſunt vel bona animi, vel bona corporis, & fortunæ, ideò iſta quæſtio tres continebit articulos. In 1. quæretur quid ſit beatitudo objectiva : In 2. probabitur beatitudinem objectivam non conſiſtere, nec in bonis animi, nec in bonis corporis, nec in bonis fortunæ : In 3. denique & ult. beatitudinem objectivam conſiſtere in bono in creato, ſcilicet Deo.

ARTICULUS

ARTICVLUS I.

Quid ſit Beatitudo objectiva.

DIcendum eſt Beatitudinem objectivam definiri à Sancto Thoma, *Bonum totaliter quietans, & ſatians appetitum rationalem.*

Prob. & exp. definitio: 1. Dicitur *Bonum*, quia cùm bonum ſit illud quod eſt cuique conveniens, & quod omnia appetunt, & cùm beatitudo ſit conveniens omni creaturæ, & omnes illam appetant, rectè dicitur *Bonum*: 2. dicitur *totaliter ſatians appetitum rationalem*, quia eſt ultimus finis creaturæ rationalis, complens totaliter omnia creaturæ rationalis deſideria; quare Beatitudo definitur ab Ariſt. *Bonum per ſe ſubſiſtens*, à Platone, *Bonum ex bonis omnibus aggregatum*, à Boëtio, *ſtatus bonorum omnium aggregatione perfectus*; à Cicerone, *Bonorum omnium, ſecretis malis omnibus cumulata complexio*; Et à D. Auguſtino, *Rerum omnium optandarum cumulata plenitudo.*

ARTICULUS II.

Vtrùm Beatitudo conſiſtat in bonis animæ, corporis, & fortunæ.

DIcendum eſt 1. Beatitudinem objectivam non conſiſtere in bonis animæ quæ ſunt ſcientiæ, & virtutes.

Prob. prima concl. pars: in illo non poteſt conſiſtere hominis felicitas, quod plurimas involvit difficultates, plurimoſque involvit labores, & quod non poteſt totaliter ſatiare hominis appetitum: atqui ſcientiæ non poſſunt totaliter hominis appetitum ſatiare, plurimas involvunt difficultates, plurimoſque producunt labores: unde dicitur in Scripturâ, *In multâ ſapientiâ multa eſt indignatio, & qui addit ſcientiam, addit laborem*; ergo felicitas hominum non poteſt conſiſtere in ſcientiis.

Prob. 2. pars concluſ. contra Stoïcos qui dicebant beatitudinem conſiſtere in virtute, quia via diſtinguitur à termino: atqui virtus eſt via ad felicitatem, quia dirigit omnes hominis affectus, ut felicitatem conſequatur; ergo virtus non eſt ipſa felicitas. Unde ait D. Auguſt. *Non virtus animi tui facit te beatum, ſed qui tibi dedit virtutem.*

Dicendum eſt 2. beatitudinem objectivam non conſiſtere in bonis corporis, quæ ſunt robur, pulchritudo, & voluptas.

Prob. felicitatem non poſſe conſiſtere in robore, valetudine, & pulchritudine; ſi enim in his conſiſteret felicitas, ſequeretur quòd bruta poſſent eandem hominis felicitatem participare: atqui illud non poteſt dici; ergo nec aliud unde ſequitur. Prob. ſeq. maj. bruta habent eaſdem perfectiones, modo etiam perfectiori, nam vita eſt illis longior, firmius robur, major valetudo, ſenſus acutiores; unde ait Seneca, *Ratio perfecta hominis bonum eſt, cætera illi communia cum animalibus; fortis eſt, & etiam Leones; formoſus eſt, ſunt & pavones; velox eſt, eſt etiam equus; habet vocem, ſed quantò clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, ſuaviorem luciniæ*; ergo bruta eandem felicitatem participarent.

Dicendum eſt 3. Beatitudinem non conſiſtere in voluptate.

Prob. in illo non poteſt conſiſtere felicitas quod hominis corpori & animæ nocet: atqui voluptas nocet corpori & animæ; ergo in voluptate non poteſt conſiſtere felicitas. Prob. min. quoad omnes partes: voluptas plurimis ægritudinibus corpus afficit, unde inquit Seneca, *Dic mortale tibi & fragile corpuſculum eſſe, cui non ex injuriâ tantùm, aut ex potentioribus viribus denuntiatur dolor, ſed ipſæ voluptates in tormenta convertuntur, Epulæ cruditatem afferunt, Ebrietas nervorum torporem, libidines pedum, manuum, articulorum omnium depravationes*, voluptas etiam maximâ triſtitiâ excruciat animum, multis enim amaritudinibus aſperſa eſt: unde ait Hugo à S Victore, *Voluptas habet mel in ore, fel in corde*;

ergo voluptas nocet corpori & animæ.

Dicendum eſt 4. beatitudinem non conſiſtere in bonis fortunæ, quæ ſunt divitiæ, honores, poteſtates & gloria.

Prob. illa non poſſunt efficere veram hominis felicitatem, quæ totum hominis appetitum non ſatiant: atqui illa omnia bona fortunæ non ſatiant totum hominis appetitum; ergo nõ poſſunt veram hominis felicitatẽ efficere. Prob. min. quoad omnes partes: divitiæ non ſatiant totum hominis appetitum, quia, ut ait S. Bern. *Non plus ſatiatur cor hominis auro, quàm corpus aurâ*; idem dicendum de honoribus, poteſtate & gloriâ: unde ait Chryſologus, *Honores ſollicitudo inſeparabiliter comitatur, pompa mundi, & favor populi fumus eſt, & aura ſubito evaneſcens.*

ARTICULUS III. ET ULT.

Utrùm beatitudo conſiſtat in bono increato.

Dicendum eſt beatitudinem objectivam conſiſtere in ſolo bono increato, ſcilicet Deo.

Prob. beatitudo obbjectiva debet ſatiare, & quietare totum appetitum creaturæ rationalis, alioquin non eſſet ultimus finis, ſi aliquid appetendum ſupereſſet: atqui ſolum bonum increatum poteſt illud efficere, cùm contineat in ſe omnem rationem boni;

ergo beatitudo conſiſtit in bono increato.

Obj. quod eſt finitum non poſtulat ad ſui ſatietatem objectum infinitum : atqui voluntas eſt potentia finita ; ergo non poſtulat pro objecto ſuæ beatitudinis objectum infinitum & increatum.

Reſp. diſt. maj. quod eſt finitum omnibus modis, non poſtulat objectum finitum, con. quod eſt finitum ſecundum unam formalitatem, & ſecundum aliam infinitum, non poſtulat objectum infinitum, neg. ſimiliter diſtinguenda eſt min. propo. voluntas eſt potentia finita categorematicè & entitativè, con. ſyncategorematicè & terminativè, neg. quia voluntas eſt potentia infinita ſyncategorematicè, quia non tot appetit, quin plura & plura in infinitum poſſit appetere.

QUÆSTIO III.

De Beatitudine formali.

Beatitudo formalis & objectiva conveniunt in hoc quòd nos beatos efficiunt ; differunt autem quòd beatitudo objectiva eſt ſummum bonum poſſeſſum ; beatitudo formalis eſt illius boni acquiſitio, & poſſeſſio. Ultima dividitur in naturalem, & ſupernaturalem : naturalis eſt illa ad quam homo per ſuas potentias naturales poteſt attingere. Su-

pernaturalis eſt illa quæ naturales vires excedit: utraque ſubdividitur in beatitudinem hujus vitæ quæ eſt imperfecta & inchoata, & in beatitudinem alterius vitæ, ſive patriæ quæ eſt perfecta & continuata. Licet ad Philoſophum non ſpectet ſupernaturalem inveſtigare, ut naturalis tamen melius dignoſcatur, utramque ibi examinabimus, ſimul & quædam dicemus de ſummâ hominis miſeriâ.

ARTICULUS I.

In quo conſiſtat beatitudo formalis hujus vitæ tam naturalis quàm ſupernaturalis.

Dicendum eſt 1. Beatitudinem formalem naturalem & ſpeculativam conſiſtere in cognitione & contemplatione Dei, quatenus naturæ viribus acquiri poteſt.

Prob. beatitudo formalis eſt aſſecutio & poſſeſſio beatitudinis objectivæ, nempe Dei: ſed per Dei cognitionem & contemplationem ipſam beatitudinem acquirimus & poſſidemus, quia ipſum cognoſcimus; ergo beatitudo formalis naturalis & ſpeculativa conſiſtit in cognitione & contemplatione Dei.

Dicendum eſt 2. beatitudinem naturalem practicam in hac vitâ conſiſtere in amore Dei.

Prob. beatitudo practica hujus vitæ conſi-

ſtit in hoc per quod adhæremus, & practicè unimur cum Deo: atqui unimur practicè cum Deo per amorem, ſicut unimur ſpeculativè per contemplationem; ergo beatitudo practica conſiſtit in amore Dei.

Dicendum 3. & ult. beatitudinem formalem ſupernaturalem hujus vitæ conſiſtere in actu charitatis.

Prob. beatitudo formalis ſupernaturalis hujus vitæ debet conſiſtere in illo actu qui eſt omnium perfectiſſimus in ordine ſupernaturali: atqui talis eſt actus charitatis, quia per illum intimius unimur Deo, juxta illud Joannis, *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo*; ergo beatitudo formalis ſupernaturalis hujus vitæ conſiſtit in actu charitatis.

Obj. 1. ex S. Thom. *Beatitudo formalis imperfecta conſiſtit in contemplatione*: atqui beatitudo hujus vitæ eſt imperfecta; ergo beatitudo formalis ſupernaturalis hujus vitæ conſiſtit in contemplatione Dei.

Reſp. diſt. maj. beatitudo formalis naturalis conſiſtit in contemplatione, con. ſupernaturalis, neg. quia ibi loquitur S. Thom. de beatitudine naturali hujus vitæ quæ quidem conſiſtit in contemplatione, ut probatum fuit.

Obj. 2. & ult. beatitudo formalis ſupernaturalis hujus vitæ debet habere proportionem cum beatitudine formali patriæ, ſive alterius vitæ: atqui beatitudo ſupernaturalis patriæ conſiſtit in operatione intellectus, ut probabitur; ergo beatitudo ſupernaturalis hujus vitæ debet conſiſtere in operatione intellectus, non verò voluntatis.

Dicendum eſt contra Hugonem à S. Victore, beatitudinem formalem patriæ non conſiſtere in increata Dei viſione.

Prob. beatitudo formalis eſt operatio vitalis quâ homo vivit in actu ſecundo, juxta illud Joannis, *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcam te Deum verum*: atqui talis operatio non poteſt provenire à Deo, quia operatio vitalis debet procedere à principio intrinſeco propter eſſentialē ſubordinationem & dependentiam quam dicit ad hujuſmodi principium; ergo beatitudo formalis non poteſt profluere à Deo & proinde non poteſt conſiſtere in increatâ Dei viſione.

Obj. 1. Beatitudo formalis provenit à Deo; ergo conſiſtit in increatâ Dei viſione. Prob. ant. beatitudo formalis eſt præmium meritorium: atqui omne præmium effectivè eſt à præmiante ſcilicet Deo; ergo beatitudo formalis provenit à Deo.

Reſp. neg. ant. & diſt. min. præmium objectivum eſt à præmiante, con. præmium formale, neg. quia licet pater Evangelii conducens operarios in vineam ſuam, peracto labore præbeat denarium non verò actum quo illum ſunt conſequuti; ita ſimiliter actus quo homo conſequitur ſummum bonum eſt ab illo effectivè.

Obj. 2. *Viſio noſtra*, ex S. Aug. *eſt ſummum bonum*; ergo conſiſtit in increatâ Dei viſione.

Reſp. diſt. auth. D. Aug. *Viſio noſtra eſt ſummum bonum*, terminativè & aſſecutivè, con. formaliter, neg. quia viſio noſtra dicitur ſummum bonum terminativè, quatenus terminatur ad ſummum bonum, nempe Deum;

dicitur etiam ſummum bonum aſſecutivè, quatenus eſt aſſecutio ſummi boni.

Obj. 3. & ult. beatitudo formalis conſiſtit in increata Dei viſione, ſi Deus poſſit ſupplere operationem intellectus per quam beati efficimur: atqui Deus poteſt ſupplere illam operationem; ergo beatitudo formalis poteſt conſiſtere in increatâ Dei viſione. Prob. ant. Eſſentia divina poteſt uniri intellectui beatorum per modum intellectionis; ergo poteſt ſupplere illam operationem per quam beati efficimur. Prob. ant. Eſſentia divina unitur intellectui beatorum per modum ſpeciei intelligibilis ſeipſam repræſentantis; ergo poteſt uniri per modum intellectionis.

Reſp. neg. min. & ant. ad cujus prob. neg. conſequentiam & parit. quià ideò Eſſentia divina poteſt uniri intellectui per modũ ſpeciei intelligibilis, quia ſpecies ex ſuâ propria ratione non poſtulat inhærere neque informare ſubjectũ, hoc enim illi convenit materialiter & per accidens in rebus creatis, quia eſt accidens: Eſſentia autem non poteſt uniri intellectui beatorum per modum intellectionis, quia, cum intellectio ſit actus vitalis & immanens, poſtulat inhærere intrinſecè in potentia à quâ actu elicitur.

Inſt. ſpecies impreſſa & intellectio non diſtinguntur in Deo; ergo ſi Eſſentia divina unitur intellectui beatorum per modum ſpeciei intelligibilis, unitur etiam per modum intellectionis.

Reſp. neg. conſeq. quia ut aliqua Dei perfectio quæ ſub duabus formalitatibus poteſt

conſiderari, uniatur anima ſub unâ formalitate, non verò ſub aliâ, non eſt neceſſe ut illæ formalitates diſtinguantur realiter, ſed ſufficit ut diſtinguantur virtualiter & æquivalenter, hoc eſt ut ratione ſuæ eminentiæ æquivaleant plurimis perfectionibus in rebus creatis realiter diſtinctis.

Inſt. iterum: ideò Eſſentia divina non poteſt uniri intellectui beatorum per modum intellectionis, quia intellectio eſt actus vitalis: atqui illa intellectionis vitalitas non impedit quin Deus uniatur per modum intellectionis; ergo Eſſentia divina poteſt abſolutè uniri intellectui beatorum per modum intellectionis. Prob. min. Eſſentia divina unitur intellectui beatorum per modum ſpeciei expreſſæ & verbi quod eſt vitale; ergo illa intellectionis vitalitas non impedit quin Deus poſſit uniri intellectui beatorum per modum intellectionis.

Reſp. neg. min. ad cujus prob. diſt. ant. Eſſentia divina unitur per modum verbi quod propriè & adæquatè conſideratum eſt vitale, con. quod inadæquatè conſideratum eſt vitale, neg. quia verbum poteſt conſiderari dupliciter. 1. Ut eſt terminus intrinſecus & vitalis intellectionis: 2. Ut eſt actualis repræſentatio objecti; eſſentia autem Divina unitur intellectioni per modum verbi, ut eſt tantùm repræſentatio actualis objecti, non verò ut eſt terminus vitalis.

ARTICULUS III.

Vtrum beatitudo formalis conſiſtat in illapſu.

CONTRA HENRICUM Gandavenſem.

NOtandum eſt beatitudinem formalem, ſecundum ſententiam Henrici Gandavenſis, conſiſtere in illapſu quodam ſpeciali, ſive in intima communicatione quâ Eſſentia divina fit præſens animæ, ejuſque potentiis, in quâ communicatione anima manet ſubſtantialiter ſanctificata & deificata & quodammodo in ipſum Deum transformata. Hanc ſententiam explicat Henricus Gandavenſis quadam ſimilitudine deſumpta ex ferro candente, & aëre luminoſo; nam ſicuti, inquit, ferrum ignitum in ignem veluti transformatur, & ſicuti aër lumine omnimodè perfuſus, nihil aliud videtur quàm lumen, ſic anima beata per intimam unionem Eſſentiæ divinæ manet deificata.

Dicendum eſt contra Henricum Gandavenſem, beatitudinem formalem non conſiſtere in illapſu.

Prob. ſi beatitudo formalis conſiſteret in illapſu, ſequeretur quòd homo in hoc mortalis vitæ ſtatu eſſet formaliter beatus: atqui homo non poteſt eſſe formaliter beatus in hoc

in hoc mortalis vitæ ſtatu ; ergo beatitudo formalis non conſiſtit in illapſu. Prob. ſeq. maj. Deus in hoc mortalis vitæ ſtatu illabitur ſpeciali quodam modo in animam hominis ; ergo homo in hoc mortalis vitæ ſtatu eſſet formaliter beatus. Prob. ant. Deus producit & conſervat gratiam in animâ : atqui non producit gratiam in anima, niſi quia illabitur in animam : unde dicitur apud Joannem, *Si quis diligit me, Sermonem meum ſervabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus* ; ergo Deus illabitur in animam in hoc mortalis vitæ ſtatu.

Obj. beatitudo formalis eſt unio perfectiſſima Eſſentiæ divinæ cum animâ : atqui unio per illapſum eſt omnino perfectiſſima, aut ſaltem perfectior illâ quæ fit per operationem ; nam per primam Deus unitur immediatè animæ, per ſecundam verò unitur immediatè potenti ejus ; ergo beatitudo formalis eſt illapſus Eſſentiæ divinæ in animam.

Reſp. diſt. maj. beatitudo formalis eſt unio perfectiſſima in ratione aſſecutionis objecti beatifici, con. eſt unio perfectiſſima præcisè ut ſic, neg. quia ſi unio perfectiſſima ut ſic eſſet beatitudo formalis, ſequeretur quòd unio hypoſtatica verbi quæ eſt omnium perfectiſſima in ratione entis, eſſet beatitudo formalis, & conſequenter ſolus Chriſtus eſſet formaliter beatus. Proinde beatitudo formalis eſt unio, quâ ſummum bonum aſſequimur per modum operationis.

ARTICULUS IV.

Vtrùm beatitudo formalis conſiſtat in operatione voluntatis.

CONTRA SCOTUM.

Dicendum eſt contra Scotum, beatitudinem formalem non conſiſtere in operatione voluntatis.

Prob. beatitudo formalis conſiſtit in aſſecutione ultimi finis, ſeu beatitudinis objectivæ: atqui nullus actus voluntatis poteſt eſſe aſſecutio ultimi finis; ergo beatitudo formalis non conſiſtit in actu voluntatis. Prob. min. voluntas eſt potentia cæca quæ non apprehendit objectum, nec attrahit ad ſe, ſed præſupponit apprehenſum ab intellectu; ergo actus voluntatis non eſt formaliter aſſecutio, ſed eſt actualis inclinatio in objectum apprehenſum & acquiſitum per operationem intellectus.

Obj. 1. beatitudo formalis conſiſtit in operatione perfectiſſimâ: atqui operatio voluntatis eſt perfectiſſima quia eſt perfectior actu intellectus; ergo beatitudo formalis conſiſtit in operatione voluntatis. Prob. min. illud ad quod aliquid ordinatur, eſt perfectius eo quod ordinatur: atqui viſio ordinatur ad amorem; nam ut ait Anſel. *Rectus ordo eſt cognoſcere ut diligamus, perverſus*

verò, diligere ut cognoſcamus : ergo amor eſt perfectior viſione.

Reſp. neg. min. ad cujus prob. diſt. min. viſio ordinatur ad amorem tanquam ſubjectum ad proprietates, & cauſa ad effectum, con. tanquam medium ad finem, neg. quia viſio ordinatur ad amorem, & amor ordinatur ad viſionem, ſed diverſimodè : viſio ordinatur ad amorem, quia eſt cauſa illius, & ſic reſpicit illum ut effectum ; amor verò ordinatur ad viſionem tanquam ad finem, quia amor eſt proprietas viſionis quæ eſt eſſentia beatitudinis. Proprietas autem eſt propter naturam cujus eſt proprietas : amor igitur eſt propter viſionem : atqui amorem eſſe propter viſionem idem eſt ac amorem ordinari ad viſionem tanquam ad finem ; ergo amor reſpicit viſionem ut finem.

Inſt. ſi amor ordinaretur ad viſionem tanquam ad finem, ſequeretur quòd viſio eſſet poſterior amore : atqui viſio non eſt poſterior amore, cùm ſit cauſa amoris ; ergo amor non ordinatur ad viſionem tanquam ad finem. Prob. ſeq. maj. finis eſt poſterior illis quæ ordinantur ad ipſum, utpote effectus illorum in executione ; ergo ſi viſio eſſet finis amoris, viſio eſſet poſterior viſione.

Reſp. neg. ſeq. maj. ad cujus prob. diſt. ant. finis obtinendus eſt poſterior illis quæ ordinantur ad ipſum, con. finis perficiendus, neg. quia duplex eſt finis, ſcilicet finis obtinendus & perficiendus : finis obtinendus eſt ille qui debet obtineri ab illis quæ ordinantur ad ipſum : finis verò perficiendus eſt ille qui debet tantùm perfici. Finis quidem ob-

tinendus eſt poſterior illis quæ ordinantur ad ipſum in executione, quamvis in intentione præcedat: Finis verò perficiendus eſt prior & in executione & in intentione; viſio autem non eſt finis amoris ut obtinendus, quia viſio non debet obtineri per amorem, ſed ſolùm eſt finis perficiendus, quia proprietates perficiunt eſſentiam: Viſio autem eſt cauſa amoris, & amor eſt proprietas viſionis, & proinde amor perficit viſionem.

Obj. 2. ideò operatio voluntatis non eſt beatitudo formalis, quia operatio voluntatis præſupponit objectum poſſeſſum & acquiſitum per actum intellectus: Atqui illa ratio nulla eſt, ergo beatitudo formalis poteſt conſiſtere in operatione voluntatis. Prob. min. ſi illa ratio valeret, ſequeretur etiam quòd operatio intellectus non eſſet beatitudo formalis; Atqui illud eſt contra ſententiam Thomiſtarum; ergo illa ratio non valet. prob. ſequ. maj. operatio intellectus ſupponit Deum poſſeſſum, quia ſupponit eſſentiam divinam præſentem intellectui per ſpeciem impreſſam; ergo ſi illa ratio valeret, beatitudo formalis non conſiſteret etiam in operatione intellectus.

Reſp. neg. min. & ſeq. maj. & ad prob. diſt. ant. operatio intellectus præſupponit eſſentiam divinam intellectui præſentem in actu primo, con. in actu ſecundo, neg. quia illud diſcrimen intercedit inter viſionem & amorem, quòd viſio ſupponit objectum beatificum ſolùm præſens in actu primo per ſpeciem impreſſam: Amor. verò ſupponit idem objectum præſens in actu ſecundo, &

poſſeſſum per operationem intellectûs.
)bj. 3. Beatitudo formalis debet conſiſte-
n operatione perfectiſsimâ : ſed amor
ificus eſt operatio perfectiſſima, quia eſt
ectior viſione, cùm proveniat à poten-
)erfectiori, ſcilicet à voluntate ; ergo
itudo formalis conſiſtit in operatione vo-
atis.
eſp. diſt. maj. beatitudo formalis debet
iſtere in operatione perfectiſſimâ quæ
abeat per modum aſſecutionis, con. in
atione perfectiſſimâ entitativè & quæ nõ
i finem aſſecutionis, neg. ſimiliter diſtin.
ida eſt min. propo. amor beatificus eſt
ectior viſione in ratione entis, con. in
one aſſecutionis, neg. quia cùm beatitu-
ormalis ſit conſecutio objecti beatifici,
t conſiſtere in illâ operatione quæ poteſt
equi tale objectum : ſed amor non con-
itur objectum beatificum, quia ſuppo-
am poſſeſſum per operationem intelle-
; ergo licet amor ſit operatio perfectior
ativè, non tamen poteſt eſſe beatitudo
alis.
bj. 4. Beatitudo formalis debet conſi-
in illâ operatione quæ nos magis unit
: Atqui amor nos magis unit Deo, quàm
atio intellectûs, quia nos in Deum quaſi
format, juxta illud Auguſtini, *ſi terram*
is, terra es, ſi Deum, Deus eris : ergo
itudo formalis conſiſtit in amore.
eſp. diſt. maj. illa operatio eſt perfectior
nos magis unit Deo unione effectivâ &
ſſiva, Con. unione affectivâ, neg. ſimi-
diſtinguenda eſt minor : atqui amor nos
D 3

magis unit Deo unione affectivâ, con. unione effectivâ neg; quia unio affectiva eſt illa per quam aliqnid appetimus: unio autem poſſeſſiva eſt illa per quam aliquid poſſidemus. Conſtat autem quòd in illâ unione poſſeſſivâ conſiſtit beatitudo quam unionem poſſeſſivam non facit amor, ſed quærit.

Obj. ult. ſi hominis fælicitas non conſiſteret in amore, ſequeretur quòd intellectus verſaretur, circa bonum tanquam circa objectum: atqui intellectus non poteſt verſari circa bonum, ergo felicitas debet conſiſtere in amore, prob. ſeq. Maj. actus quo felices ſumus, debet reſpicere bonum ſub ratione boni: ergo ſi beatitudo formalis conſiſteret in operatione intellectus, verſaretur ipſe intellectus circa bonum ſub ratione boni.

Reſp. neg. ſeq. maj. ad cujus prob. diſt. ant. actus quo felices ſumus, debet reſpicere bonum ſub ratione boni cōſequibilis, con. ſub ratione boni appetibilis, neg. quia cùm felicitas non conſiſtat in appetitione, ſed in poſſeſſione, operatio quâ felices ſumus, non debet reſpicere bonum ut appetibile, ſed ut conſequibile: Verum quidem eſt quòd ſola voluntas verſatur circa bonum ut eſt appetibile, ſed non poteſt illud conſequi, & ſic boni conſecutio ad ſolum intellectum pertinet.

ARTICULUS V.

Vtrùm beatitudo formalis conſiſtat in plurimis operationibus.

Contra nonnullos Recentiores.

Dicendum eſt beatitudinem formalem non; conſiſtere in plurimis operationibus.

Prob. illa operatio eſt beatitudo formalis quæ Deum primò aſſequitur, & quæ continet radicaliter operationes aliarum potentiarum; illud enim eſt conſtitutivum formale quod per ſe eſt radix omnium aliarum perfectionum, ut patet de rationalitate in homine: Atqui hoc tantùm convenit uni operationi, nam cùm actus intellectus & voluntatis inter ſe ſubordinentur, unus debet eſſe diſpoſitio ad alterum, vel proprietas; ergo beatitudo formalis non conſiſtit in plurimis operationibus.

Obj. in Catechiſmo Romano 1. parte, in illa verba *vitam æternam*, dicitur beatitudinem eſſentialem in eo ſitam eſſe ut Deum videamus, ejuſque pulchritudine fruamur; ergo beatitudo formalis conſiſtit in plurimis operationibus, ſcilicet in viſione, fruitione, & delectatione.

Reſp. diſt. ant. beatitudo in eo ſita eſt ut Deum videamus, & ejus pulchritudine frua-

mur quantùm ad integram beatitudinis ſubſtantiam, & ſtatum perfectum, con. quantum ad ejus eſſentiam neg. quia fruitio, amor, & delectatio cùm ſint de bono jam præſenti & poſſeſſo, ſupponunt ejus aſſecutionem: & proinde hæc ſunt tantùm de complemento beatitudinis & de integrâ ejus ſubſtantiâ, ſicut integra hominis ſubſtantia eſt quòd ſit rationalis, riſibilis, admirativus, cjus autem eſſentia eſt tantùm ut ſit rationalis.

ARTICULUS VI.

Vtrùm beatitudo formalis conſiſtat in operatione intellectûs.

Juxtà mentem Sancti Thomæ.

DIcendum eſt beatitudinem formalem conſiſtere in ſolâ operatione intellectus, ſive in clarâ Dei viſione.

Prob. 1. ex ſancto Thoma 1. 2. quæſt. 2. art. 4. *Manifeſtum eſt*, inquit, *quòd beatitudo eſt conſecutio finis ultimi, conſequimur autèm ipſum per hoc quòd ſit præſens nobis per actum intellectus*, ergo ex mente ſancti Thomæ beatitudo formalis conſiſtit in operatione intellectus.

Prob. 2. ratione Beatitudo formalis eſt conſecutio & poſſeſſio objecti beatifici: Atqui operatio intellectus eſt formaliter cōſecu-

tio & poſſeſſio objecti beatifici: Ergo beatitudo formalis conſiſtit in ſolâ operatione intellectûs. Prob. min. illa operatio eſt conſecutio & poſſeſſio objecti beatifici quæ procedit à potentia quæ apprehendit & trahit ad ſe objectũ: atqui intellectus eſt talis potentia quæ apprehendit & trahit ad ſe objectum, vel intentionaliter per ſpeciem, quando non eſt ſufficienter præſens aut unitum potentiæ, aut ſufficienter immateriale & illi proportionatum, vel entitativè & realiter per ſeipſum, quando neutra conditio illi deeſt; ergo ſola intellectus operatio eſt conſecutio objecti beatifici.

ARTICULUS VII.

In quo conſiſtat ſumma hominis infelicitas.

NOtandum eſt quòd damnati duplicem pœnam patiuntur, ſcilicet pœnam damni & pœnam ſenſus. Pœna damni nihil aliud eſt quàm privatio divinæ viſionis, ex quâ privatione ſequitur ſumma triſtitia: patiuntur etiam pœnam ſenſûs, in quo autem illa pœna conſiſtat, infra examinabitur.

Dicendum eſt ſummam alterius vitæ infelicitatem conſiſtere eſſentialiter & formaliter in privatione viſionis beatificæ.

Prob. oppoſitorũ eadem eſt ratio; ergò cum infelicitas felicitati opponatur, & felicitas eſſentialiter & formaliter conſiſtat in viſione eſſentiæ divinæ, debet infelicitas eſſentialiter conſiſtere in privatione viſionis beatificæ.

Obj. infelicitas alterius vitæ debet conſiſtere in ſummo malo: atqui peccatum eſt quid pejus privatione viſionis beatificæ; ergo infelicitas alterius vitæ cõſiſtit in peccato. prob. min. illud quod opponitur majori bono eſt pejus quàm illud quod opponitur minori bono: Atqui peccatum opponitur majori bono, quàm privatio viſionis beatificæ: ergo peccatum eſt majus malum. Prob. min. peccatum opponitur ipſi Deo, privatio verò viſionis beatificæ, directè & immediatè opponitur ſoli viſioni; ergo peccatum opponitur majori bono quàm privatio viſionis beatificæ.

Reſp. diſt. maj. infelicitas debet conſiſtere in ſummo malo in genere mali pœnæ con. in ſummo malo abſolutè, neg. quia ſicuti felicitas non dicit perfectionem ſummam quæ poteſt eſſe abſolutè, quia gratia quæ eſt participatio ipſius eſſentiæ divinæ eſt perfectior viſione beatificâ quæ eſt participatio ſolùm intellectionis divinæ, ſed dicit perfectionem ſummam, quatenus conſequitur objectum beatificum; & ita infelicitas non debet dicere ſummum malum abſolutè, ſed debet dicere ſummum malum in genere malorum quæ poſſunt convenire actui ſecundo, hoc eſt quæ dicunt immediatè carentiam actus ſecundi.

ARTICULUS VIII.

De naturâ ignis inferni quo damnati torquentur.

NOtandum eſt quod quidam Philoſophi negantes reſurrectionem, exiſtimarunt omnia quæ dicuntur de pœnis animarum, Metaphoricè dici. Calvinus verò docet infernum nihil aliud eſſe quàm horrorem conſcientiæ contra quos.

Dicendum eſt 1. ignem quo damnati cruciantur, eſſe verum & realem ignem atque materialem ſive corporeum.

Prob. ignis inferni debet eſſe materialis ſi ſcriptura ſacra ſtatuat illum ignem non ſolùm pro Dæmonibus & animabus ſeparatis, ſed etiam pro corporibus: atqui ſcriptura ſacra ſtatuit illum ignem pro corporibus cruciandis; ergo ignis inferni debet eſſe materialis. Major eſt evidens, quia corpora non poſſunt puniri niſi pœnâ corporali, inquit S. Thom. quæſt. 26. art. 1. minor etiam eſt evidens, quia dicitur in ſcripturâ de corporibus reſſuſcitatis, quòd ibunt in ignem æternum, & proindè ignis eſt deſtinatus ad crucianda corpora.

Obj. 1. Vermis quem ſimul ſcriptura deſignat cum igne pro pœnâ damnatorùm juxta illud Iſaïæ, *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, vermis, inquam, intelligitur per metaphoram pro ipſo con-

ſcientiæ remorſu;ergo ignis quem pro pœnâ damnatorum ſcriptura deſignat, debet etiam metaphoricè ſumi, prob. ant. ſi vermis non intelligeretur per metaphorã ſequereturquòd poſt judicij diem remanerent animalia quæ corpora damnatorum depaſcerent:atqui poſt judicij diem non debent remanere animalia, ſiquidem finienda ſunt omnia; ergo vermis debet metaphoricè ſumi.

Reſp. neg. conſeq. & parit: ratio diſparitatis eſt, quòd licet illa verba ab eodem Propheta ſimul proferantur, quædam tamen debent metaphoricè ſumi, & quædam in proprio ſenſu ſunt explicanda, quia verba ſcripturæ ſacræ, juxtà regulam ſancti Auguſtini, debent metaphoricè ſumi, quando ex illis ſequeretur aliquid abſurdi, ſi in proprio ſenſu explicarentur; & conſequenter in proprio ſenſu ſunt explicanda, quando nihil ſequitur abſurdi; & quando ſcriptura ſacra alijs in locis oppoſitum non docet: ideò iſta verba Iſaïæ;*vermis eorum non morietur*, debent ſumi metaphoricè, quia ſi in proprio ſenſu explicarentur, ſequeretur quidem remanſura eſſe animalia præter hominem, quod non poteſt dici, quia ſcriptura ſacra oppoſitum docet: alia verò verba Iſaïæ, ſcilicet, *ignis eorum non morietur*, in proprio ſenſu ſunt intelligenda, quia nihil inde ſequitur abſurdi, & quia nulla ex ſacrâ ſcripturâ poteſt afferri authoritas huic explicationi contraria.

Obj. 2. Corpora damnatorum non eodem modo cruciabuntur in inferno: Arqui ſi ignis eſſet materialis, eodem modo cruciarentur damnatorum corpora; ergo ignis inferni non

non debet dici materialis. Prob. min. ignis materialis ſemper agit eodem modo, quia eſt cauſa naturalis & neceſſaria; ergo ſi ignis inferni eſſet materialis, eodem modo damnatos cruciaret.

Reſp. neg. min. ad cujus prob. diſt. ant. ignis ſecundum ſe conſideratus agit ſemper eodem modo con. ut eſt inſtrumentum divinæ juſtitiæ neg. quia in quantum ignis eſt inſtrumentum divinæ juſtitiæ, agit ſecundum quod à principali causâ movetur: Unde quamvis ob ſuam virtutem non cruciet magis vel minus ſecundum menſuram delictorum, illud tamen facit ex directione divinæ juſtitiæ per quam actio ignis modificatur.

Obj. ult. multæ ſunt authoritates SS. Patrum quæ videntur expreſsè docere ignem inferni eſſe incorporeum & immaterialem; ergo ignis inferni non eſt materialis.

Reſp. diſt. omnes authoritates: ignis inferni eſt incorporeus quantùm ad punitionem con. quantùm ad ſubſtantiam, neg. quia licet ignis inferni ſit ejuſdem ſpeciei cum igne qui noſtris uſibus inſervit, tamen ſi ignis inferni ad noſtrum conferatur, videtur eſſe incorporeus, quia habet quaſdam proprietates veluti ſpirituales; non enim indiget fomento materiali ad ſui conſervationem, ſicuti ignis noſter, ardet & non lucet, urit & non conſumit.

ARTICULUS ULT.

Quomodo ignis inferni torqueat damnatorum animas.

NOtandum eſt 1. quod circa illam difficultatem triplex eſt ſententia. Prima ſententia eſt illorum qui dicunt animas ſeparatas cruciari ab igne, quia apprehendunt illum ut diſconvenientem, eo ferè modo quo ſolet quis in ſomno cruciari, ex imaginatione alicujus rei diſconvenientis. Secunda ſententia eſt illorum qui dicunt ignem ut inſtrumentum divinæ juſtitiæ, Dæmonibus & animabus ſeparatis imprimere aliquam qualitatem ſpiritualem naturæ eorum diſconvenientem, quam qualitatem apprehendunt damnati, & ex illius qualitatis apprehenſione maximam triſtitiam, maximumque dolorem percipiunt, Tertia ſententia eſt illorum qui docent damnatos ab igne infernali pati per modum alligationis, quatenus ſcilicet divina juſtitia utitur illo igne ad detinendos damnatos intra abſtruſa terræ viſcera. Talis autem alligatio eſt duplex; una præciſè quantum ad potentias damnatorum, præſcindendo à loco, v. g. ligatur intellectus, quatenus tenetur ſemper ſuam cogitare captivitatem, nec poteſt illa conſiderare quæ poſſunt illi quoddam levamen afferre, alligatur voluntas,

quatenus non poteſt amare quod ipſi poſſet placere : altera eſt alligatio per ordinem ad locum , propter quam Dæmones nequeunt operari , nec exire , ſaltem omninò & ad libitum extra locum illum in quo ſunt, licet poſſint aliquantulum exire , quando Deus & ignis à quo detinentur,illud permittunt;quod dicitur propter illos dæmones qui ſunt in aëre , & habent ipſum pro carcere ; licet enim per illum diſcurrant , non tamen poſſunt pro libito totaliter ab illo exire , ſed tantùm aliquantulum vel minùs intra ipſum ſe movere juxta permiſſiònem divinam.

Dicendum eſt dæmones & animas ſeparatas torqueri ab igne non ex ipsâ apprehenſione ignis , nec ex ipsa apprehenſione qualitatis quam ignis dæmonibus & animabus ſeparatis imprimit , ſed dicendum damnatos pati ab igne infernali per alligationem.

Prob. con. quoad 1. part. ſi animæ damnatorum torquerentur ab igne propter ignis apprehenſiònem , ſequeretur quòd non paterentur ab igne ſecundum rei veritatem : atqui illud non poteſt dici , ergo nec aliud. prob. ſeq. maj. illa apprehenſio quâ apprehendunt ignem ut ſibi nocivum & diſconvenientem , vel eſſet vera vel falſa : Si vera ; ergo aliquod reale detrimentum acciperent ab igne ? quod non explicatur : Si falſa ; ergo non cruciarentur ab igne, ſed à ſuâ apprehenſione ;hoc autem eſt abſurdum : quia ſicuti nullus falsâ opinione eſt beatus , ita nullus falsâ opinione eſt miſer.

Prob.con. quo ad 2. part. omne malum involvit aliquam privationem boni , malum

animæ damnatorum non ſunt capaces; ſiquidem ſubjectum ſpirituale non eſt capax qualitatis corporeæ.

Obj. 2. ſi damnati torquerentur ab igne per alligationem, deberent pati ab illâ alligatione : atqui damnati non patiuntur ab illâ alligatione ; ergo non torquentur damnati per alligationem. Prob. min. dæmones non patiuntur ab illo per quod agunt : atqui agunt per alligationem ; ergo dæmones non patiuntur ab alligatione. Prob. min. dæmones ſunt in loco per operationem: atqui dæmones detinentur in loco per alligationem; ergo dæmones agunt per alligationem.

Reſp. neg. duas min. prop. ad quarum prob. diſt. maj. dæmones ſunt in loco naturali per operationem, con. ſunt in loco violento per operationem, neg. quia, ut probatum fuit in Metaphyſicâ Angeli ſunt in loco naturali per operationem, & in loco violento per paſſionem.

Obj. 3. ſi pœna ſenſus conſiſteret in alligatione, ſequeretur quòd in animabus quæ ſunt in Purgatorio & in inferno æqualis eſſet pœna : atqui pœna non poteſt eſſe æqualis in animabus in Purgatorio & in inferno exiſtentius ; ergo pœna ſenſus non conſiſtit in alligatione. Prob. ſeq. maj. alligatio eſt eadem in animabus in Purgatorio & in inferno exiſtentibus ; ergo ſi pœna ſenſus conſiſteret in alligatione, pœna eſſet æqualis in omnibus.

Reſp. neg. maj. ad cujus prob. diſt. ant. allegatio eſt eadem ſecundum quid, con. ſimpliciter & abſolutè, neg. quia in hoc

utraque alligatio convenit, quòd quælibet detineat in Purgatorio & in inferno animas captivas, & in hoc differunt quòd alligatio in inferni tollit omnem omninò libertatem, & alligatio in Purgatorio relinquit aliquam libertatem.

Obj. 4. & ult. ſi alligatio eſſet pœna ſenſûs ſequeretur quòd pueri in limbo exiſtentes ſuſtinerent aliquam pœnam ſenſus: atqui pueri in limbo exiſtentes nullam pœnam ſenſus ſuſtinent; ergo alligatio non eſt pœna ſenſus. Prob. ſeq. maj. pueri detinentur in limbo per alligationem; ergo ſi alligatio eſſet pœna ſenſus, pueri in limbo exiſtentes ſuſtinerent aliquam pœnam ſenſûs.

Reſp. neg. ſeq. maj ad cujus prob. diſt. ant. pueri detinentur in limbo per alligationem impropriè dictam, con. per alligationem propriè dictam, neg. quia exiſtentia puerorum cum ſolo peccato originali decedentium in limbo non eſt propriè alligatio, ſed ſolùm eorum præſentia in tali loco, quia ut aliqua anima dicatur propriè alligata alicui loco, non ſufficit quòd ei ſit ſemper præſens, ſed ut anima detenta & alligata in loco, patiatur ab illo loco aliquam ſubjectionem & violentiam: pueri nullam violentiam recipiunt à præſentiâ quâ detinentur in limbo; unde illud intercedit diſcrimen inter damnatos, & pueros in limbo exiſtentes, quòd damnati ab illâ alligatione acerbiſſimam experiuntur pœnam, quia illorum voluntas ſemper eſt contrarii divinæ voluntati, & quia contra propriam inclinationem in igne detinentur: pueri verò ab alligatione mitiſſimam ſen-

tiunt pœnam, quia, ut inquit, D. Thom. illorum voluntas eſt juſta: unde voluntariè ſuſtinent talem alligationem, & ſibi juſtè deberi exiſtimant. Si verò aliquis quærat quomodo ignis poſſit ligare damnatos, reſpondeo quod ignis damnatos ligat producendo in illis aliquam qualitatem ſpiritualem.

TRACTATUS II.

De principiis actionum humanarum.

CUM tam plurima dicta ſint de felicitate noſtrâ, neceſſe eſt explicare ea quibus felicitas acquiritur. Ideò agendum de actionibus humanis, & inprimis de earum principiis: Triplex autem eſt principium, nempe voluntas, intellectus, & appetitus ſenſitivus. De his omnibus agetur in iſto tractatu, qui in quatuor quæſtiones dividetur. In primâ, agetur de voluntario. In ſecundâ, de libero. In tertiâ, de præmotione Phyſicâ. In ultimâ, de paſſionibus.

QUÆSTIO I.

De voluntario.

IN iſta quæſtione quid & quotuplex ſit voluntarium demonſtrabitur, & quid poteſt cauſare involuntarium.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex ſit voluntarium.

DIcendum, 1. voluntarium eſſe illud quod provenit à principio intrinſeco cum cognitione finis.

Prob. & explicatur talis concluſio. 1. Dicitur procedere à principio, ut diſtinguatur à motu violento qui provenit à principio extrinſeco. 2. Dicitur procedere à principio intrinſeco cum cognitione finis, ut diſtinguatur à motu naturali gravium & levium in proprium centrum, ſimiliter à nutritione & accreſſione plantarum; qui motus procedunt quidem à principio intrinſeco, ſcilicet à potentiâ accreſſivâ & nutritivâ, à gravitate & levitate, ſed procedunt ſine cognitione finis, & ideò illi motus non ſunt voluntarii: voluntarium enim cauſatur ex duplici principio,

ſcilicet ab appetitu rationali, hoc eſt à voluntate quæ eſt principium intrinſecum; & ſecundò ex cognitione dirigente, ita ut ejus oppoſitum nempe involuntarium cauſatur ſimiliter ex duplici principio oppoſito, ſcilicet à principio extrinſeco & ex eo quod tollitur cognitio; ergo voluntarium recte deffinitur illud quod procedit à principio intrinſeco cum cognitione finis.

Dicendum eſt ult. voluntarium eſſe duplex aliud perfectum, & aliud imperfectum. Primum repetitur in naturâ intellectuali. Secundum reperitur in brutis.

Prob. ratione S. Thom. voluntarium eſt illud quod procedit à principio intrinſeco cum aliquâ cognitione finis; ergo totuplex eſt voluntarium, quotuplex eſt cognitio finis: atqui duplex aſſignatur cognitio finis, ſcilicet perfecta & imperfecta; ſiquidem illa cognitio vocatur perfecta, quandò ſolum aprehenditur res quæ eſt finis: ſed etiam cognoſcitur ratio finis & proportio ejus cum mediis, quæ cognitio competit ſoli naturæ rationali; imperfecta autem cognitio finis eſt, quando ſolum apprehenditur res quæ dicitur finis, quæ cognitio convenit brutis; ergo duplex datur voluntarium, perfectum ſcilicet & imperfectum.

Obj. voluntarium ſic dicitur à voluntate: atqui voluntas non reperitur in brutis; ergo nec voluntarium imperfectum reperitur in brutis.

Reſp. diſt. maj. voluntarium dicitur à voluntate ſecundum illud à quo nomen imponitur, conc. ſecundum illud ad quod ſignifi-

candum nomen imponitur, neg. quia licet voluntarium dicatur à voluntate, non tamen illud ſolum quod procedit à voluntate, dicitur voluntarium; nam licet lapis ſic dicatur à lœdendo pede, multa ſunt tamen quę pedem lœdere poſſunt, quæ lapis non ſunt; ita multa ſunt voluntaria, licet non procedant à naturâ intellectuali; nam (ut inquit Sanctus Thom) aliud eſt à quo nomen imponitur, & aliud àd quod ſignificandum nomen imponitur; ideoque ratio per nomen ſignificata ad plura ſe extendit quam illud à qúo nominis Ethimon ſumitur, & ita voluntarium dicitur de motibus brutorũ, quando ſponte, hoc eſt, non coactè, ſed ex inclinatione appetitûs & cognitione ſenſûs illos eliciunt. Ita dicendũ, quod ratio voluntarii convenit univocè hominibus & brutis, quia homo & bruta conveniunt univoce in ratione cognoſcitivi; ergo & in ratione appetitivi ſeu voluntarii, cum appetitus ſequatur cognitionem; & ideò, quia homo & brutum conveniunt univoce ſub eodem genere animalis, & cum animal idem ſit ac vivens ſenſibile, & vivens ſenſibile idem quod vivens cognoſcens) quandóquidem ſentire eſt cognoſcere;) ergo homo & brutum conveniunt in ratione cognoſcitivi.

ARTICULUS II.

Vtrùm violentia poſſit inferri voluntati quantùm ad actus elicitos & imperatos.

DIcendum eſt per nullam potentiam poſſe inferri violentiam voluntati in actibus ab illâ elicitis, bene tamen in actibus ab eâ imperatis, & ab aliis potentiis inferioribus elicitis.

Prob. & expl. omnis actus elicitus à voluntate eſt eſſentialiter cum cognitione finis, cum voluntas ſit principium intrinſecum & cùm non poſſit operari ſine cognitione: atqui violentū & voluntarium opponuntur: ergo ſi omnis actus voluntatis ſit formaliter voluntarius, impoſſibile eſt quod ſit violentus & coactus, conſequenter per nullam potentiam poteſt inferri violentia voluntati in actibus qui ab illâ eliciuntur: Benè tamen in actibus ab illâ imperatis, & à potentiis inferioribus elicitis, quia volens videre poteſt cogi ne videat, ſi ei claudantur oculi.

Obj. Voluntas poteſt neceſſitari â Deo ut ſit in amore beatifico; ergo poteſt cogi, cùm non ſit minus inclinata ut operetur liberè quàm voluntariè.

Reſp. neg. conſeq. & paritatem, quia ideò voluntas neceſſitatur, quando obiectum ſine

indifferentia illi proponitur , & quando non eſt contra voluntatis inclinationem ; & ideò violentiam non patitur in eo quod neceſſitetur, voluntas tamen non poteſt cogi , quia violentum opponitur voluntario,& eſt contra voluntatis inclinationem.

ARTICULUS III.

Vtrùm creaturæ inanimatæ poſsint à Deo violentiam pati.

DIcendum eſt à Deo nullam creaturam poſſe violentiam pati.

Prob. quod eſt ſecundùm præcipuam inclinationem,non eſt violentum : ſed quidquid operatur Deus in creaturâ , eſt ſecundùm præcipuam ipſius inclinationem , ergo non eſt violentum. Prob. min. creatura habet majorem inclinationem ad obediendum Deo quàm ad bonum proprium ; ergo quidquid Deus operatur in creaturâ, eſt ſecundum propriam ipſius inclinationem. Prob. ant, quælibet creatura eſt pars univerſi & aliquid Dei: ergo creatura quælibet majorem habet inclinationem ad obediendum Deo , quàm ad bonum proprium , prob. conſeq. ex S. Tho. 1. p. q. 60. a. 3. *Quod eſt alterius* (inquit) *habet majorem inclinationem ad illud quam ad bonum proptium :* Sed quælibet creatura eſt pars univerſi & aliquid Dei ; ergo quælibet creatura

creatura habet majorem inclinationem ad obediendum Deo quam ad bonum proprium. maj. prob. iſto exemplo. Videmus (inquit D. Tho.) quod naturaliter pars ſe exponit ad conſervationem totius corporis, ſicut manus exponitur ictui, ut totum conſerveretur corpus.

ARTICULUS IV.

Vtrùm violentia cauſet involuntarium.

Notandum eſt violentiam eſſe illud quod eſt à principio extrinſeco paſſo non conferente vim ſed reluctante, quia non ſufficit, quod ſubjectum cui vis infertur, non cooperetur motui & ſe habeat merè paſſivè, ſed inſuper debet poſitivè & contrariè reſiſtere, ſicut aqua per ſuum frigus reſiſtit poſitivè calori.

Dicendum eſt violentiam cauſare involuntarium ſimpliciter.

Prob. violentia eſt contra inclinationem paſſi, cùm paſſum ei reſiſtat, & violentia eſt à principio extrinſeco; ergo directè opponitur voluntario, cùm ſit à principio naturali & intrinſeco: atqui quod directè opponitur voluntario, deſtruit rationem voluntarii, & proinde cauſat involuntarium ſimpliciter, qualis eſt motus progreſſivus illius qui invitâ, & reluctante voluntate cogitur in carcerem ingredi.

Obj. 1. Violentia infertur martyribus per tormenta; atqui illa violentia non cauſat involuntarium: quia per illa tormenta æternam mœrentur gloriam; ergo violentia non cauſat involuntarium.

Reſp. diſt. maj. violentia infertur martyribus quantum ad appetitum ſenſitivum conc. quantum ad appetitûs rationalis inclinationem neg. quia aliquid dicitur voluntarium, vel quatenùs eſt ab ipsâ voluntate ut à principio activo, vel quatenùs eſt à principio paſſivo, hoc eſt cùm aliquis vult pati ab aliquo exteriori, talis eſt mors & paſſio omnium martyrum.

Obj. ult. violentum non opponitur contrariè voluntario; ergo violentia non facit involuntarium ſimpliciter. Prob. ant. Contraria nata ſunt ineſſe eidem ſubjecto; ergo cum violentum non poſſit eſſe in ipsâ voluntate, non eſt formaliter contrarium voluntario.

Reſp. neg. ant. ad cujus prob. diſt. conſeq. violentia non poteſt ineſſe in voluntate immediatè con. mediatè neg. quia cum aliæ potentiæ faciant quaſi unum ſubiectum morale cum voluntate, quatenùs ab illâ dependent in exercitio ſuarum operationũ, illarum actus voluntarii dicuntur, quatenus conjunguntur cum actu voluntatis, & ab illo dependent.

ARTICULUS V.

Vtrùm metus cauſet involuntarium.

NOtandum eſt, metum definiri motum appetitûs ſenſitivi, quo fugimus aliquod malum, quod nobis repræſentatur ut vitatu difficile.

Dicendum eſt, metum cauſare involuntarium ſecundum quid, ita ut illa quæ ſunt ex metu, ſint mixta ex voluntario & involuntario.

Prob. quod eſt volitum hic & nunc ponderatis omnibus circunſtantiis eſt voluntarium ſimpliciter, & quod eſt volitum conditionatè tantum, eſt involuntarium ſecundum quid: atqui opus factum ex metu eſt volitum ſimpliciter ponderatis omnibus circunſtantiis, & volitum conditionatè, ut patet exemplo mercatoris, qui abſolutè nollet projicere merces in mare, & tamen projicit, ut fugiat mortem quam timet; ergo illa quæ fiunt ex metu ſunt mixta ex voluntario & involũtario.

Obj. 1. quando quis metu pœnarum inferni legem Domini obſervat, talis obſervatio nihil habet involuntarii, alias eſſet mala & defectuoſa, quia *malum ex quocumque defectu provenit*, & tamen illa obſervatio eſt bona & meritoria, ergo quæ fiunt ex metu, non ſunt involuntaria ſecundum quid.

Reſp. neg. ant. quia illa actio habet aliquid involuntarii, nec tamen ſequitur quod illa actio ſit mala, quia ille metus cadit ſolum ſupra rem ſecundum ſe & materialiter conſideratam, non autem circa rem ut præceptam à Domino; ſicut Chriſtus Dominus triſtabatur de morte non ut imperatâ ſed ſecundum ſe conſiderata.

Obj. 2. metus gravis excuſat tranſgreſſionem legis à culpâ, ita ut ille non peccet, qui (ut vitet grave malum) omittit audire ſacrum in die feſto: atqui tranſgreſſio legis non caret culpâ, niſi ſit ſimpliciter involuntaria; ergo metus reddit ſimpliciter involuntarium.

Reſp. diſt. maj. metus gravis excuſat à culpâ tranſgreſſionem legis ſublatâ obligatione, con. ſtante obligatione, neg. quia ſunt aliquæ leges humanæ & Divinæ poſitivæ, quæ non ſemper obligant, quando ſcilicet non poſſunt commodè obſervari & urget aliquod grave periculum; ſublatâ igitur obligatione per metum, metus excuſat à peccato, nec ſequitur quod reddat involuntarium ſimpliciter.

Obj. ult. votum ſolemne & matrimonium ſunt invalida, ſi fiant ex metu cadente in virum conſtantem, hoc eſt quando vir conſtans frangi poteſt, qualis eſt metus mortis, aut maximæ infamiæ; ergo metus reddit ſimpliciter involuntarium. Prob. conſeq. omne votum & matrimonium ſimpliciter voluntarium, eſt validum; ergo ſi talis metus reddat invalidum, reddit quoque ſimpliciter involuntarium.

Reſp. neg. conſeq. ad cujus prob. diſt. ant. omne votum & matrimonium ſimpliciter voluntarium eſt validum per ſe loquendo & jure naturali,con.per accidens & jure poſitivo, neg. quia Eccleſia poteſt ponere aliquas conditiones, ſine quibus matrimonium aut votum non ſunt valida, inter quas una eſt, ut fiant ſine metu, ſicut in matrimonio requiritur, ut fiat coram parrocho.

ARTICULUS VII.

Vtrum ignorantia cauſet involuntarium.

NOtandum eſt ignorantiam deffiniri privationem cognitionis eorũ quæ quiſque tenetur ſcire Ignorãtia dividitur in antecedẽtẽ,concomitantẽ,& conſequentem. Ignorantia antecedens eſt illa quæ nullo modo eſt volita, quia ſufficiens diligentia adhibetur, ut ignorãtia vincatur. v.g.dum aliquis ſufficienti diligentiâ adhibitâ amicum in ſilvâ latentem interficit,putans eſſe feram : illa ignorantia dicitur antecedens, & alio nomine invincibilis. Ignorantia concomitans eſt illa quæ concomitanter ſe habet ad actum voluntatis & quæ non movet hominem ad operandum, neque illum removet ſeu prohibet ab operatione, ſed homo eſt ita diſpoſitus, ut æqualiter & eodem modo operaretur, ſi talis ignorantia non adeſſet v.g.ſi quis venationis cauſâ

ſilvam circumeat, & deprehendat hoſtem, ignorat tamen eum eſſe hoſtem & adhibitâ prius ſufficienti diligentiâ exiſtimans eſſe feram ibi latentem, emittit ſagittam & interficit hoſtē. Talis occiſio dicitur procedere ex ignorantiâ concomitanti. Ignorantiâ denique conſequens eſt illa quæ conſequitur actum voluntatis, quando ſcilicet voluntas tenebatur ſcire quod poterat, ſi directè expreſsè velit illud ignorare, illa ignorantia dicitur affectata, ſi indirectè: quod fit quando ſcilicet voluntas non vult expreſsè ignorare, non tamen curam adhibet ad addiſcenda ea quæ poteſt & tenetur ſcire, & hæc ignorantia vocatur craſſa ſeu ſupina.

Dicendum eſt 1. ignorantiam antecedentem cauſare involuntarium ſimpliciter.

Prob. quod cauſat effectum omninò repugnantē inclinationi voluntatis cauſat ſimpliciter involuntarium: atqui ignorātia antecedens cauſat effectum omninò repugnantē inclinationi volūtatis (ut patet) in illo qui projiciens ſagittam putando feram occidere, hominem tamen interfecit, quem noluiſſet occidere; ergo ignorantia cauſat involuntarium ſimpliciter; & proinde excuſat à peccato.

Dicendum eſt 2. ignorantiam conſequentem cauſare ſolum involuntarium ſecundum quid.

Prob. qui vult cauſam alicujus effectûs vult etiam effectum qui ex illâ ſequitur, juxta illud commune effatum, *Quod eſt cauſæ cauſa, eſt cauſa cauſati*; ergo cum ignorantia conſequens ſit ſimpliciter volita, effectus qui ex illâ ſequitur, eſt ſimpliciter voluntarius; &

proinde non facit ſimpliciter involuntarium, ſed ſolum involuntarium ſecundum quid, quia cum tali ignorantiâ effectus eſt ita conjunctus, ut ſi adeſſet ſcientia, non poneret effectum. V. g. ſi quis non factâ ſufficienti diligentiâ, dum exiſtimat ſe feram occidere, interficit amicum, illa ignorantia eſt conſequens; eſt quidem voluntaria, propter negligentiam, tamen, ſi adeſſet ſcientia, non amicum interficeret;ergo ignorantia conſequens facit involuntarium ſecundum quid.

Obj. 1. ignorantia conſequens removet ſcientiam quæ ſi adeſſet, non faceret illud quod modo facit ex ignorantiâ; ergo talis ignorantia cauſat involuntarium ſimpliciter. Ant. patet: & tamen poteſt adhuc probari quodam exemplo, quando quis v.g. non factâ ſufficienti diligentiâ putat ſe feram occidere & interficit amicum, illa ignorantia eſt conſequens; ſiquidem eſt voluntaria per negligentiam & tamen removet ſcientiam præſentiæ amici, quæ ſi adeſſet, non faceret homo quod facit per ignorantiam; ergo ignorantia conſequens removet ſcientiam. Prob. conſeq. ideo ignoratia antecedens cauſat involuntarium ſimpliciter, quia removet ſcientiam; ergo ignorantia conſequens debet cauſare involuntarium ſimpliciter, quia removet ſcientiam.

Reſp. neg. conſeq. ad cujus prob. neg. ant. quia non ideo ſolum ignorantia antecedens cauſat involuntarium ſimpliciter, quia removet ſcientiam, quæ ſi adeſſet, homo non faceret illnd quod facit ex ignorantia: ſed quia non eſt voluntaria neque formaliter,

neque virtualiter, nec ſupponit aliquem actum voluntatis in quo ſit volita tanquam in cauſâ, & ita licet ignorantia conſequens removeat ſcientiam, quæ ſi adeſſet, homo non operaretur illud quod operatur, tamen eſt voluntaria formaliter aut virtualiter, quia ſupponit actum voluntatis in quo tanquam in cauſâ continetur.

Obj. 2. Ideo ignorantia conſequens cauſat involuntarium ſecundum quid, quia operans ita eſt affectus, ut ſi haberet ſcientiam non operaretur effectum: atqui illa ratio non ſufficit, ergo ignorantia conſequens non cauſat involuntarium ſecundum quid. Prob. min. Ignorantia concomitans non facit voluntarium, licet operans ſit ita affectus, ut libentiùs operaretur effectum, ſi adeſſet ſcientia; ergo ignorantia conſequens non facit inuoluntarium ſecundum quid, licet operans ſit ita affectus, ut ſi haberet ſcientiam non operaretur effectum.

Reſp. neg. min. ad cujus prob. neg. conſ. & parit. quia licet operans cum ignorantia concomitanti ſit ita affectus, ut libentiùs operaretur ſi haberet ſcientiam; tamen effectus ab illo ſic operante productus, non poteſt dici voluntarius, quia ut effectus ſit voluntarius, neceſſe eſt ut ſit cognitio in operante: atqui In operante cum ignorantiâ concomitanti non eſt cognitio; ergo effectus productus cum ignorantiâ concomitanti non eſt voluntarius. Ad rationem autem involuntarii non eſt neceſſe ut ſit cognitio, ſed ſufficit ut ſit contra propenſionem & inclinationem.

Dicendum eſt 3, ignorantiam concomitan-

tem non cauſare involuntarium neque voluntarium, ſed non voluntarinm.

Prob. 1. pars. Illud non eſt voluntarium, quod non fit cum cognitione finis: ſed quod procedit ex ignorantiâ concomitanti, non fit cum cognitione finis? imò eſt omninò incognitum; mors enim inimici v. g. facta à venatore (dum adhibitâ ſufficienti diligentiâ putaverit eſſe feram) omninò ignota eſt; ergo quod procedit ex ignorantiâ concomitanti, non eſt voluntarium.

Prob. 2. pars. Illud non eſt involuntarium poſitive, quod non repugnat inclinationi voluntatis: atqui illud quod procedit ex ignorantiâ concomitanti non repugnat inclinationi voluntatis; quia v. g. voluntas venatoris interficientis inimicum putando interficere feram, ita eſt affecta ut libentiùs operaretur, ſi ſciret eſſe inimicum? imò cum videt ſe occidiſſe inimicum, non dolet ſed potiùs gaudet; ergo talis effectus neque eſt voluntarius, neque involuntarius, ſed non voluntarius.

ARTICULUS ULT.

Vtrum Concupiſcentia cauſet involuntarium.

NOtandum eſt quod nomine concupiſcentiæ intelligitur actus appetitûs ſenſitivi, & comprehendit quamlibet ejus paſſionem verſantem circa bonum, & excludit ſolùm actus qui ſunt circà malum, ut triſti-

tiam & timorem.

Dicendum eſt, concupiſcentiam non cauſare involuntarium ſecundum quid.

Prob. illud non cauſat involuntarium ſecundum quid, quod non involvit aliquid repugnans voluntati: atqui concupiſcentia non involvit aliquid repugnans voluntati; ergo concupiſcentia non cauſat involuntarium ſecundum quid. Prob: min. concupiſcentia reſpicit tantum bonum delectabile, non verò malum, & in hoc diſtinguitur à timore qui reſpicit malum quod non poteſt facile vitari; ergo non involvit aliquid quod repugnet voluntati.

QUÆSTIO II.

De libero.

IN iſta quæſtione quæretur, quotuplex ſit libertas: quænam ſit eſſentia libertatis, & quibus conveniat.

ARTICVLUS I.

Quotuplex ſit libertas.

DIcendum eſt 1. libertatem in communi & latiſſimo modo ſumptam eſſe tripli-

cem, ſcilicet libertatem à miſeriâ hujus vitæ, à peccato, & à neceſſitate naturali.

Prob. eſſe liberum, idem eſt ac eſſe ſolutum ab aliqua ſubjectione; ergo totuplex debet aſſignari libertas, quotuplex eſt ſubjectio hominis: atqui triplex aſſignatur ſubjectio hominis; ſiquidem homo ſubjicitur primò miſeriis hujus vitæ; ſecundò ſubjicitur peccato: tertiò ſubjicitur neceſſitati naturali; ergo triplex debet dari libertas, ita ut per primam liberetur à ſervitute miſeriarum hujus vitæ, & hæc appellatur *libertas gloriæ*. Per ſecundam liberatur à peccati jugo, & illa appellatur *libertas gratiæ*. Per tertiam denique liberatur à neceſſitate naturali ad unum determinante, non relinquendo potentiam ad oppoſitum, & illa vocatur *libertas naturæ*, de quâ ultimâ ibì ſolùm diſputatur; ergo libertas optimè dividitur in libertatem à miſeriâ hujus vitæ, in libertatem à peccato, & in libertatem à neceſſitate naturali.

Dicendum eſt 2. libertatem naturæ dividi in libertatem ſpontaneïtatis & libertatem indifferentiæ.

Prob. eſſe liberum idem eſt ac eſſe immune ab aliquo; ergo totuplex debet aſſignari libertas naturæ, quotuplex aſſignatur immunitas: atqui duplex in homine aſſignatur immunitas naturæ; ſiquidem voluntas hominis primò includit immunitatem à coactione ſive violentiæ ab agente extrinſeco illatâ, quia (ut jam probatum fuit) nullum agens poteſt inferre violentiam voluntati. 2. Includit immunitatem à neceſſitate naturali

determinante ad unum, & non relinquente potentiam ad oppoſitum; quia voluntas habet dominium ſupra ſuos actus, & ita poteſt eligere unum & aliud relinquere; ergo libertas naturæ rectè dividitur in libertatem ſpontaneitatis & indifferentiæ.

Dicendum eſt 3. & ult. libertatem indifferentiæ ſubdividi in libertatem contrarietatis ſive ſpecificationis, & in libertatem contradictionis ſive exercitii.

Prob. eſſe liberum libertate indifferentiæ eſt habere facultatem poſitivam ad oppoſita; ergo totuplex aſſignatur libertas indifferentiæ, quotuplex poteſt aſſignari genus oppoſitorum: atqui alia ſunt oppoſita contrariè, ut amor & odium; alia verò ſunt oppoſita contradictoriè, ut amare & non amare; ergo duplex aſſignatur libertas indifferentiæ, ſcilicet libertas indifferentiæ contrarietatis quæ eſt facultas ad eliciendos actus contrariè oppoſitos, ſive ſpecie diverſos, ut amare & odio habere; & libertas indifferentiæ contradictionis quæ eſt facultas ad actûm & negationem illius, hoc eſt amare & non amare; ergo libertas indifferentiæ rectè ſubdividitur in libertatem indifferentiæ contrarietatis, & in libertatem indifferentiæ contradictionis.

ART.

ARTICULUS II.

Quænam ſit vera & formalis ratio libertatis.

NOtandum eſt, Janſenium affirmare libertatis eſſentiam conſiſtere in ſpontaneïtate, ſive immunitate à coactione & violentiâ; ita ut voluntas ſit formaliter & eſſentialiter libera, quatenus per nullam potentiam illi violentia inferri poteſt: fatetur quidem indifferentiam reperiri in libertate hominum viatorum; negat tamen ipſam indifferentiam pertinere ad eſſentiam libertatis. Alii verò Philoſophi dicunt rationem formalem libertatis conſiſtere in vi electiva voluntatis, & dominio quod habet voluntas creata ſupra ſuos actus, ab omni indifferentiâ abſtrahendo, tam contradictionis, quàm contrarietatis. Sunt denique alii, qui docent eſſentiam libertatis conſiſtere in indifferentiâ activâ contradictionis, quæ eſt perfectio quædam poſitiva indiſtincta ab ipſâ voluntate, & modus connaturalis operandi illius quo voluntas poteſt velle & non velle; ita ut ſpontaneitas ſit tantum fundamentum libertatis; vis electiva, & dominium non ſit formaliter aliquid diſtinctum ab illâ, ſed ſit ipſamet indifferentia activa contradictionis, denique indifferentia contrarietatis eſt proprietas illius ad ſtatum ejus perfectum & integritatem pertinens.

Dicendum eſt eſſentiam libertatis creatæ conſiſtere in indifferentiâ activâ contradictionis.

Prob. eſſentia libertatis creatæ conſiſtit in hoc, quòd habeamus actus noſtros ſub noſtrâ poteſtate & dominio juxta illud Gen. *Sub te erit appetitus tuus & tu dominaberis illi*: atqui habemus actus noſtros ſub noſtrâ poteſtate, non in quantum præcisè ſunt ſpontanei & immunes à coactione & violentia, neque in quantũ poſſumus eligere hoc vel illud diverſæ ſpeciei, at in quantum poſſumus eligere hoc vel non eligere; ergo libertas conſiſtit in indifferentiâ activâ contradictionis. Prob. min. quoad omnes partes. Si actus noſtri eſſent ſub noſtrâ poteſtate, in quantum ſunt immunes à coactione, ſequeretur, quòd pater & filius in Divinis perfectiſſimâ ſpontaneitate producentes Spiritum ſanctum, ejus productionem haberent in Dominio: atqui non poteſt dici, quòd pater & filius habeant productionem Spiritus ſancti in Dominio; ergo noſtri actus non ſunt in noſtrâ poteſtate, in quantum, ſunt immunes à coactione. Prob. min. ſi Pater & Filius haberent in poteſtate productionem Spiritus ſancti, Spiritus ſanctus eſſet quaſi inferior & ſubditus Patris & Filii: atqui illud eſt hæreticum; ergo Pater & Filius non poſſunt habere Dominium in productionem Spiritus ſancti. Prob. maj. Dominium in ſuo conceptu eſſentiali importat ſubjectionem ex parte termini, ſive quandam rationem inferioris & ſubditi; ergo ſi Pater & Filius haberent Dominium in productionem Spiritus ſancti, eſſet quaſi inferior

& ſubditus. Prob. eadem minor propoſitio, quod ſcilicet eſſentia libertatis non poteſt conſiſtere in indifferentiâ contrarietatis, quia non poſſumus elicere hunc, vel illum actum diverſæ ſpeciei, niſi quatenus habemus poteſtatem eliciendi hunc actum, vel non eliciendi; ergo indifferentia cotrarietatis præſupponit indifferentiam contradictionis; ergo eſſentia libertatis conſiſtit in indifferentiâ activâ contradictionis.

Obj. 1. eſſentia libertatis conſiſtit in ſpontaneitate, ſi actus neceſſarii ſint liberi: atqui actus neceſſarii ſunt liberi; ergo eſſentia libertatis conſiſtit in ſpontaneitate. Prob. min. auctor. D. Thom. 1. p. q. 82. a. 1. ad 1. *Neceſſitas naturalis* (inquit) *non aufert libertatem voluntatis*, 2. Idem S. Th. q. de potentia, art. 2. Ad 3. docet *voluntatem oppetere liberè felicitatem*; *Deum ſeipſum liberè amare: & Patrem & Filium producere liberè Spiritum ſanctum*: atqui omnes illi actus ſunt neceſſarii & tamen à D. Thoma dicuntur liberi, quia ſunt immunes à coactione; ergo actus neceſſaii ſunt liberi.

Reſp. 1. neg. min. ad cujus prob. diſt. primam auctor D. Thom. *Neceſſitas naturalis non aufert limbertatem*, impropriè & fundamentaliter ſumptam, conc. propriè & formaliter, neg. quia libertas propriè & formaliter ſumpta, non tantùm excludit violentiam, ſed etiam naturalem neceſſitatem, hoc eſt determinationem ad unum non relinquentem potentiam ad oppoſitum.

Reſp. 2. neg. eamdem min. prop. ad cujus prob. diſt. auctor D. Thom. *Voluntas appetit liberè felicitatem : Deus ſeipſnm liberè*

amat, Pater & Filius producunt liberè Spiritum ſanctum, libertate complacentiæ, conc. libertate propriè & formaliter ſumpta, neg. quia quando D. Thom. dicit voluntatem appetere liberè felicitatem: Deum ſe liberè amare; & Filium & Patrem liberè producere Spiritum ſanctum, ſi loqueretur de libertate propriè dictâ, ſibi apertè contradiceret, cum doceat 1. p. q. 19. a. 1. quòd, *Liberum arbitrium habemus eorum quæ non neceſſariò volumus.*

Obj. 2. eſſentia libertatis creatæ conſiſtit in hoc, quòd actus noſtri ſint in noſtrâ poteſtate: atqui actus purè ſpontanei & immunes à coactione ſunt in noſtrâ poteſtate; ergo ſunt formaliter liberi, & proinde libertas conſiſtit formaliter in ſpontaneitate. Prob. min. ex D. Aug. lib. 2. de libero arbitrio cap. 31. *Illud habere in noſtrâ poteſtate dicimur, quod cum volumus, facimus*: atqui actus purè ſpontanei fiunt, quia volumus; procedunt enim à voluntate cum cognitione finis; ergo actus purè ſpontanei ſunt in noſtrâ poteſtate.

Reſp. neg. min. ad cujùs prob. diſt. maj. *Illud habere in noſtrâ poteſtate dicimur, quod cum volumus, facimus*, ita ut oppoſitum facere & velle poſſimus, conc. ita ut oppoſitum facere & velle non poſſimus, neg. quia illi actus non ſunt ſimpliciter liberi, qui ſunt ſpontanei, hoc eſt immunes à coactione, ſed illi tantum quos facimus & quos poſſumus non facere, hoc eſt qui cadunt in rationis deliberationem, & electionem voluntatis. Illud docet D. Aug. lib. de Spiritu & litterâ, *Hoc quiſ-*

que (inquit) *in ſuâ poteſtate habere dicitur, quod ſi vult, facit, ſi non vult, non facit.*

Obj. 3. eo ipſo quòd homo ſponte & non coactè agit, liberè operatur; ergo libertas conſiſtit in ſola ſpontaneitate. Prob. ant. ex D. Auguſt. lib. 1. de libero arbitrio cap. 4. *Præſcientia Dei & gratia conſervant libertatem, quia ab his voluntas non cogitur*; ergo eo ipſo quòd homo ſponte agit, & non cogitur, liberè agit.

Reſp. neg. ant. ad cujus prob. diſt. ant. *Præſcientia Dei & gratia conſervant libertatem, quia voluntas non cogitur*, coactione improprio & latiſſimo modo ſumptâ, conc. *voluntas non cogitur*, coactione ſtricto & proprio modo ſumptâ, neg. quia coactio ſumitur tripliciter. 1. Strictè pro interna violentiâ qua voluntas invita prorſus & reluctans ad volendum impellitur, quo pacto Philoſophi definiunt coactum ſive violentum illud quod eſt à principio extrinſeco paſſo non conferente vim. Secundò minus ſtrictè & minus propriè pro aliquâ vi morali quæ nos ad aliquid faciendum impellit cum aliquâ difficultate & aliquâ voluntatis repugnantia, quæ facit illud involuntararium ſecundum quid, licet ſit ſimpliciter liberum. Sic vulgò dicimus mercatorem metu naufragii coactum projicere merces in mare, & ægrotum metu mortis impulſum permittere ſibi brachium abſcindi. 3. Latiſſimo modo ſumpta uſurpatur pro neceſſitate naturali quæ libertati opponitur. Quando igitur D. Aug. dici *Gratiam non cogere voluntatem* loquitur, de coactione latiſſimo modo ſumptâ, in quantum confunditur

cum neceſſitate naturali; ita ut ſenſus Div. Auguſt. ſit, quod gratia non cogit voluntatem, hoc eſt quod non ita neceſſitat ad unum ut non relinquat illi potentiam ad oppoſitum.

Obj. ult. libertas definitur à D. Auguſt. *appetitus ſpontaneitatis*; ergo ex ipſa libertatis definitione patet quod libertas conſiſtit in ſpontaneitate.

Reſp. diſt. ant. libertas dicitur *appetitus ſpontaneus*, ſpontaneitate improprio & latiſſimo modo ſumpta con. proprio& ſtricto modo ſumpta neg. quia ſicuti coactio poteſt ſumi tribus modis, ita ſpontaneitas quæ maximè opponitur coactioni, tribus etiam oppoſitis modis poteſt conſiderari. 1. ſpontaneitas ſumitur pro eo quòd excludit coactionem in rigore ſumptam, ſic voluntas ſpontaneè agit in omnibus actibus elicitis, quia nulla poteſt illi violentia inferri. 2. pro eo quod excludit etiam vim moralem; nam (ut coactus & invitus agere dicitur) quem imminentis periculi metus ad agendum impellit, ſic ſpontè & volens agere dicendus eſt, qui nullâ vi agere cernitur. 3. ſumitur pro eo quod liberum eſt, ſeu quod excludit neceſſitatem naturalem; ſic quando libertas definitur *appetitus ſpontaneus*, illa definitio debet intelligi de ſpontaneitate latiſſimo modo ſumptâ.

ARTICULUS III.

Vtrùm libertas indifferentiæ, conveniat Chriſto circà mortem, & beatis circà amorem.

Dicendum eſt, Chriſtum in adimplendo præcepto moriendi, fuiſſe liberum libertate contradictionis.

Prob. Voluntas in eliciendo actum amoris eſt formaliter libera libertate indifferentiæ, non quia poteſt conjungere non amorem cum amore, ſed quia actualiter amando retinet potentiam ad non amorem; ergo Chriſtus fuit formaliter liber libertate indifferentiæ contradictionis, licet non potuerit conjungere negationem mortis, ſi voluiſſet non mori, cum præcepto obligante ad mortem, ſed ſufficit quod volendo actualiter mortem ſibi præceptam, retinuerit potentiam ad negationem mortis diviſam à præcepto ponendam: atqui Chriſtus retinuit talem potentiam; ergo Chriſtus fuit liber libertate indifferentiæ contradictionis. Prob. min. ſi Chriſtus non habuiſſet poteſtatem non ponendi mortem, non rectè nobis proponeretur in exemplum patientiæ: atqui Chriſtus nobis proponitur rectè in exemplum patientiæ; ergo Chriſtus habuit potentiam non ponendi mortem. Prob. maj. Ille nobis non rectè proponitur in exemplum

patientiæ, qui patitur ex neceſſitate: atqui ſi Chriſtus non habuiſſet poteſtatem non moriendi, paſſus fuiſſet ex neceſſitate; ergo rectè nobis in exemplum patientiæ non proponeretur.

Obj. 1. Poſſe velle non mori, eſt poſſe velle non adimplere præceptum; ergo eſt poſſe peccare: atqui Chriſtus propter unionem hypoſtaticam non poterat peccare; ergo Chriſtus non habebat poteſtatem volendi negationem mortis.

Reſp. quòd ad ſolutionem illius difficillimi argumenti, diverſi diverſa reſpondent.

1. ſunt aliqui qui (ut ſalvent libertatem Chriſti) dicunt nullum fuiſſe Chriſto datum præceptum à patre pro morte ſubeundâ: & quando ipſis objiciuntur quædam ſacræ Scripturæ teſtimonia, quæ illud præceptum continent, reſpondent quod nomen præcepti latiſſimo modo ſumitur pro quacumque voluntate paternâ Chriſto ſignificatâ abſque obligatione legis: ſed hæc reſponſio non allubeſcit, quia conſtat ex plurimis ſacræ Scripturæ locis præceptum fuiſſe datum Chriſto; nam (ut dicitur apud Joan.) *Mandatum accepi à patre meo, ſcilicet ponendi animam meam.* Et alio in loco dicitur, *ſicut mandatum dedit mihi pater, ita facio.* Præterea docet Doctor Angelicus Chriſtum ex obedientiâ, ad patrem fuiſſe mortuum; ſed obedientia habet pro objecto formali præceptum ſuperioris ſcilicet patris; ergo Chriſto præceptum fuit datum à patre.

2. Quidam dicunt Chriſtum fuiſſe liberum circà mortem, quia petiit à patre tale præ-

ceptum, quod proinde non fuit ſibi impoſitum, niſi quia voluit; nec valet iſta reſponſio, quia non legitur in Scripturâ, quòd Chriſtus petierit à patre tale præceptum ſibi imponi. Præterea poſſet dici quod ſic libertas poneretur ſolùm in voluntate ſeu petitione præcepti, non verò in impletione ipsâ præcepti, & in obedientiâ præcepto exhibitâ.

3. Aliqui dicunt, Chriſtum fuiſſe liberum, quia potuit petere diſpenſationem & obtinere: ſed hoc etiam falſiſſimum eſt, quia Chriſtus per ſcientiam ſuam cognoſcebat voluntatem efficacem patris de morte pro ſaluse generis humani ſubeundâ: ſed ſuppoſitâ tali cognitione voluntatis patris, non poterat ſe illi nón conformare: ergo non poterat efficaciter petere diſpenſationem. prob. min. velle efficaciter oppoſitum voluntati divinæ, eſt actus otioſus, temerarius; & proinde peccaminoſus: atqui Chriſtus propter impeccabilitatem ſuam, non poteſt velle actum otioſum, temerarium & peccaminoſum; ergo non potuit velle petere diſpenſationem, quæ eſt oppoſita divinæ voluntati.

4. Docent aliqui, quòd Chriſtus non fuit liber circà ſubſtantiam mortis, benè tamen circà modum & circumſtantias; fuit enim liber & indifferens ad moriendum ex hoc vel illó motivo, vel obedientiæ, vel fortitudinis, vel patientiæ, vel miſericordiæ: ſed hoc repugnare videtur ſacræ Scripturæ, quæ plurimis in locis docet, mortem fuiſſe præceptam Chriſto, non ſolùm quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad circumſtantias tem-

poris & motivi. 1. fuit illi præcepta quoad tempus, ut ex verbis Luc. 12. colligitur. *Baptiſmo habeo baptiſari, & quomodo coarctor, uſque dum perficiatur.* His verbis docet Chriſtus ſe angi ex dilatione mortis: ſed non angeretur ex ipſâ mortis dilatione, ſi fuiſſet illi liberum illam volendi; ergo mortis tempus erat determinatum à patre. Mors etiam erat præcepta quoad motivum, nam Math. 26. Chriſtus dicit: *Verumtamen non ſicut ego, ſed ſicut tu*; illa autem verba denotant rei præceptæ circumſtantias.

5. Reſp. diſt. ant. Poſſe velle non mori in ſenſu compoſito, eſt poſſe velle non adimplere præceptum patris con. poſſe velle non mori in ſenſu diviſo, eſt poſſe velle non adimplere præceptum patris neg. quia Chriſtus poterat velle negationem mortis ut diviſam à præcepto obligante ad mortem: negatio autem mortis ut diviſa à tali præcepto non eſt tranſgreſſio præcepti; & proinde non eſt peccatum; & conſequenter poſſe velle non mori, ſive negationem mortis ut abſtrahentem à præcepto, non eſt poſſe violare præceptum, nec poſſe peccare; ſed ad hoc requiritur poſſe velle non mortem ut conjunctam cum præcepto ad moriendum obligante. Quando ergo dicitur Chriſtum non potuiſſe velle non mori in ſenſu compoſito, ſenſus eſt, quod Chriſtus ſuppoſitâ omnimodâ impeccabilitate non habuit potentiam, quâ poſſet velle negationem mortis, ut conjunctam cum præcepto obligante ad mortem: quando verò dicitur, quod Chriſtus potuit velle non mori in ſenſu diviſo, ſenſus eſt,

quòd Chriſtus habuerit potentiam volendi negationem mortis ſecundum ſe conſideratam, & ut abſtrahentem à præcepto.

Inſt. Atqui Chriſtus non potuit velle negationem mortis ut abſtrahentem à præcepto; ergo nulla ſolutio. prob. ſubſ. poſſe velle negationem mortis ut abſtrahentem à præcepto, eſt poſſe dividere negationem mortis à præcepto: atqui Chriſtus non potuit dividere negationem mortis à præcepto; ergo Chriſtus non potuit velle negationem mortis ut abſtrahentem à præcepto. prob. min. dividere unum ab alio, eſt ponere unum & auferre aliud: atqui Chriſtus non potuit auferre præceptum; ergo non potuit dividere negationem mortis à præcepto.

Reſp. neg. ſubſ. ad cujus prob. diſt. maj. poſſe velle negationem mortis ut abſtrahentem à præcepto, eſt poſſe dividere negationem mortis à præcepto, diviſione preciſivè ſumpta con. diviſione poſitivè ſumpta neg. quia diviſio poteſt ſumi dupliciter, ſcilicet poſitivè & præciſivè: Chriſtus autem non potuit velle negationem mortis ut abſtrahentem à præcepto, diviſione poſitivè ſumptâ, quia iſta diviſio importat potentiam ad auferendum præceptum: Chriſtus autem non poterat auferre præceptum, & ita non poterat velle negationem mortis ut abſtrahentem à præcepto diviſione poſitivè ſumptâ, ſed diviſione præciſivè ſumptâ, quia poterat illam tantum præſcindere à præcepto.

Obj. 2. Non datur potentia ad illud quod importat contradictionem: atqui ſuppoſito præcepto mortis pro ſalute hominum, & ſup-

poſitâ impeccabilitate Chriſti, implicat Chriſtum non mori de facto; ergo non habet potentiam ad non moriendum,

Reſp. diſt. maj. Non datur potentia ad illud quod importat contradictionem ex terminis con. ad illud quod importat contradictionem ex ſuppoſitione neg. vel ſubdiſt. non datur potentia conſequens conc. potentia antecedens neg. quia non repugnat Chriſtum poſſe velle non mori ex principiis intrinſecis talis negationis, ſed ſolum ex aliquo accidente, ſcilicet ex ſuppoſitione præcepti & impeccabilitatis Chriſti: ideò poteſt velle non mori potentiâ antecedenti. Siquidem datur duplex potentia, ſcilicet potentia antecedens & potentia conſequens; vel ut alii loquuntur Thomiſtæ potentia poſitionis & potentia poſſibilitatis: potentia antecedens ſive poſſibilitatis eſt illa per quam aliquid ita poteſt fieri ut revera ſit poſſibile, licet de facto non ponatur: potentia poſitionis ſive conſequens, eſt illa per quam aliquid poteſt ita fieri, ut fiat & ponatur de facto.

Obj. ult. neceſſitas antecedens tollit libertatem: atqui neceſſitas moriendi ex præcepto eſt in Chriſto neceſſitas antecedens; ergo tollit libertatem. Prob. min. iſta neceſſitas eſt ſolum conſequens quæ conſequitur noſtram libertatem: atqui in Chriſto neceſſitas ex præcepto moriendi, non conſequitur libertatem. Sed præcedit, ergo neceſſitas moriendi non eſt conſequens, ſed antecedens.

Reſp. neg. min. ad cujus prob. diſt. maj. iſta neceſſitas eſt conſequẽs quæ conſequitur noſtrã libertatem, vel formaliter, vel virtualiter, vel æqui-

æquivalenter eſt neceſſitas conſequens, conc. quæ noſtram libertatē conſequitur formaliter tantum, neg. quia noſtram libertatem conſequi formaliter eſt illam ſupponere in ſeipſâ; conſequi æquivalenter eſt illam ſupponere in aliquo eminenter illam continente. Neceſſitas autem præcepti impoſiti, non tollit libertatem, quia præceptum Chriſto impoſitum ſupponit Decretum Dei efficax; & cum in tali Decreto, ut in radice libertatis contineatur eminenter libertas actûs Chriſto imperati; ideò neceſſitas orta ex præcepto, conſequitur libertatem actûs præcepti; ſi non formaliter, ſaltem virtualiter.

Dicendum eſt ult. Angelos & beatos neceſſariò diligere Deum quoad exercitium, ita ut non ſint liberi, libertate indifferentiæ circa talem actum, cum non poſſint ab illo ceſſare.

Prob. voluntas eſt appetitus rationalis & ſequitur dictamèn intellectus; ergo non poteſt ceſſare ab aliquo actu, niſi intellectus in eo apprehendat aliquam rationem mali, & niſi in ejus ceſſatione inveniat aliquam rationem majoris boni: atqui intellectus Angelorum & beatorum elevatus lumine gloriæ, non poteſt apprehendere in divinâ bonitate, aliquam rationem mali (cum ſit bonum per eſſentiam & contineat omnia bona) neque voluntas poteſt defatigari in exercitio illius actûs, cum non dependeat ab aliquo organo corporeo; ergo ſi non poſſit ceſſare ab illo actu, non eſt libera libertate indifferentiæ, & conſequenter Angeli & beati neceſſariò diligunt Deum.

Obj. 1. illa potentia non amat neceſſariò, quæ non habet principium elicitivum amoris neceſſariò agens: atqui voluntas beatorum & Angelorum, non habet principium elicitivum amoris, neceſſariò agens; ergo voluntas beatorum non amat neceſſariò; prob. min. voluntas beatorum habet charitatem tanquam principium elicitivum amoris: atqui charitas non agit neceſſariò; ergo volunluntas non habet principium elicitivum amoris, neceſſariò agens. Prob. min. charitas elicit liberè actum amoris in via; ergo elicit actum amoris liberè in patriâ, prob. conſ. charitas eſt eadem ſpecie & numero in viâ ac in patriâ; ergo cum charitas eliciat liberè actum amoris in viâ, debet elicere liberè actum amoris in patriâ.

Reſp. neg. duas min. prop. ad quarum prob. neg. conſeq. & diſt. ant. charitas in viâ & in patriâ eſt eadem ſecundum entitatem, conc. ſecundum modum, neg. quia licet charitas ſit eadem in viâ & in patriâ ſecundum entitatem non tamen ſecundum modum; quia cum objectum charitati & voluntati diverſo modo proponatur, voluntas diverſo etiam modo in viâ & in patriâ fertur in illud objectum; ſiquidem in viâ Deus proponitur voluntati in ænigmate & per ſpeculum: in patriâ verò proponitur verè & ut eſt in ſe; ideò in viâ voluntas liberè agit, quia regulatur judicio indifferenti; in patriâ verò neceſſariò agit, quia regulatur & eſt determinata judicio repræſentate bonum infinitum, quod neceſſariò eſt amandum; hoc eſt regulatur per lumen gloriæ & claram viſionem

quæ Deum, ut ſummum bonum & neceſſariò diligendum proponunt.

Obj. ult. beati non amant neceſſariò Deum, ſi objectum beatificum non ſatiet & repleat totam capacitatem potentiæ; atqui objectum beatificum, non replet & ſatiat totam capacitatem potentiæ; ergo beati non amant neceſſariò Deum. Prob. min objectum beatifificum non replet totam capacitatem potentiæ, ſi voluntas poſsidens objectum beatificum, deſideret aliquid aliud: atqui voluntas poſſidens objectum beatificum, deſiderat aliquid aliud; ergo objectum beatificum non replet totam capacitatem potentiæ. Prob. min. *Animæ beatorum*, ex S. Th. *deſiderant gloriam corporis*; ergo voluntas poſſidens objectum beatificum, deſiderat alquid aliud.

Reſp. neg. duas min. prop. ad quarum prob. diſt. ant. animæ beatorum deſiderant gloriam corporis, per amorem procedentem ab amore Dei, con. per amorem extraneum, neg. quia voluntas dicitur totaliter ſatiata, licet aliquid aliud amet & deſideret; quia objectum totaliter ſatians non excludit amorem omnem alterius rei, ſed tantùm amorem extraneum, & nullomodo ab amore primi objecti procedentem: amor autem quo animæ beatorum deſiderant gloriam corporis, procedit ab amore Dei; quia quidquid voluntas beatorum vult & amat, illud vult & amat in ordine ad Deum: & proinde talis amor procedit ex amore Dei.

ARTICULUS IV.

De radice & ſubjecto libertatis.

DIcendum eſt 1. radicem & cauſam libertatis eſſe indifferentiam objectivam judicii, quo ſcilicet intellectus judicat bonum propoſitum non eſſe neceſſariò amandum, cum ſit bonum particulare & limitatum ; vel quo judicat eſſe alteri præeligibile, conſideratis quibuſdam circumſtantiis.

Prob. voluntas eſt potentia cæca, ſequens dictamen rationis ſive judicium intellectus; ergo voluntas fertur in bonum apprehenſum per intellectum, eo modo quo ipſi proponitur; unde ſi proponatur ut indifferens & ut non habens omnem bonitatem, voluntas fertur in illud cum indifferentiâ : ſi verò proponatur, ut habens omnem bonitatem, voluntas fertur in illud neceſſariò ; ergo radix & cauſa libertatis eſt indifferentia objectiva judicii.

Dicendum eſt 2. libertatem non ſubjectari formaliter in intellectu, ſed tantum in voluntate.

Prob. concl, quoad 1. partem. Libertas non ſubjectatur formaliter in intellectu, ſi intellectus non habeat indifferentiam ad agendum vel non agendum : atqui intellectus non habet talem indifferentiam (cum ſit potentia neceſſaria ;) ergo libertas non ſubjectatur formaliter in intellectu.

Prob. concl. quoad 2. partem. Libertas eſt formaliter in illâ potentiâ à quâ elicitur præcipuus actus liber: atqui præcipuus actus liber eſt electio, quæ pertinet ad voluntatem; ergo libertas ſubjectatur formaliter in voluntate.

QUÆSTIO III.

De Præmotione phyſicâ.

CUM Antithomiſtæ aſſerant Præmotionem phyſicam tollere libertatem, ideò cum jam de ipsâ libertate egerimus, nunc de ipsâ præmotione agendum: ſed priùs dicendum aliquid de concurſu ſimultaneo.

ARTICULUS I.

De Concurſu ſimultaneo.

NOtandum eſt, quod ibi quæritur quomodo Deus cõcurrit cúm cauſis ſecundis operantibus; utrũ ſcilicet quando cauſæ ſecũdæ operãtur, Deus ſimul cum illis operetur &

concurrat per aliquem concurſum, qui dicitur ſimultaneus, de quo agetur in iſto articulo: & utrùm etiam quando cauſæ ſecundæ operantur; Deus concurrat cum illis per aliquem concurſum prævium, hoc eſt qui præcedat operationem cauſarum ſecundarum, de quo concurſu agetur in altero articulo.

Dicendum eſt, Deum concurrere immediaté & ſimultaneè ad omnes effectus cauſarum ſecundarum.

Prob. 1. authoritate Scripturæ ſacræ, & àuth, S. Thomæ. Iſaïæ enim 17. dicitur *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine:* & S. Th. 1. part. quæſt. 1. art. 5. dicit, quod *Deus omnia intimè operatur in nobis*: atqui omnia opera non poſſunt eſſe à Deo, & Deus non poteſt in nobis intimè operari, niſi ipſe Deus immediatè concurrat ad producenda hujuſmodi opera; ergo Deus immediatè concurrit ad omnia opera cauſarum ſecundarum.

Prob. 2. ratione. Actio cauſæ ſecundæ poteſt impediri, adeò ut effectus ejus adnihilari poſſit per ſubſtractionẽ divini concurſus? ergo actio cauſæ ſecundæ dependet proximè & immediatè à concurſu Dei. prob. ant. tribus tantum modis poteſt impediri actio cauſæ ſecundæ, & adnihilari illius effectus, videlicet deſtruendo cauſam, vel apponendo contrarium, vel denegando concurſum: atqui conſtat in igne fornacis Babylonicæ, quod actio illius fuit impedita, nec tamen fuit deſtructa cauſa, nec contrarium fuit appoſitum, videlicet aqua frigidiſſima; ergo actio ignis fuit tantum impedita per ſubſtra-

ctionem divini concurſus.

Obj. 1. Si Deus concurreret ſimultaneè ad effectus cauſarum ſecundarum, concurreret per eandem actionem: atqui non poteſt concurrere per eandem actionem, quia eadem actio non poteſt procedere à duobus agentibus totalibus; ergo nullomodo poteſt concurrere ad effectus cauſarum ſecundarum.

Reſp. diſt. illam prop. Eadem actio non poteſt procedere à duobus agentibus ejuſdem ordinis & non ſubordinatis con. diverſi ordinis & ſubordinatis, neg. quia ut docet ſanctus Tho. una actio non procedit à duobus agentibus unius ordinis, ſed nihil prohibet, quin una & eadem actio procedat à primo & ſecundo agente: nam cum agens ſecundum ſubordinetur primo, talis ſubordinatio facit ut vicem unius cauſæ ſortiantur, & proinde utraque eſt cauſa totalis in ſuo ordine.

Obj. 2. & ult. Si concurſus ſimultaneus eſſet actio cauſæ ſecundæ, & ſi illa actio produceretur à causâ ſecundâ & à primâ, ſequeretur quod una & eadem actio reciperetur in diverſis ſubjectis, quia actio ſubjectatur in agente: atqui non poteſt dici, quod una & eadem actio recipiatur in diverſis ſubjectis; ergo concurſus ſimultaneus non eſt actio cauſæ ſecundæ.

Reſp. diſt. maj. Si actio produceretur à Deo & à causâ ſecundâ ſub eadem formalitate, illa actio reciperetur in diverſis ſubjectis, con. ſi actio produceretur à causâ ſecundâ & primâ, ſub diverſa formalitate, reciperetur in diverſis ſubjectis neg. quia illa

actio poteſt conſiderari ſub triplici formalitate, quatenus procedit à causâ ſecundâ, eſt formaliter actio: quatenus procedit à Deo, habet rationem effectûs: quatenus autem procedit à causâ ſecundâ ut dependenter à primâ, dicitur concurſus ſimultaneus, & proinde illa actio non poſtulat ſubjectari in diverſis ſubjectis.

ARTICULUS II.

Vtrùm detur concurſus prævius, ſive Præmotio phyſica.

NOtandum eſt 1. Præmotionem in communi multipliciter dividi.

1. Dividitur in moralem & phyſicam: moralis eſt perſuaſio & objecti manifeſtatio, quando ſcilicet objectũ ita eſt conveniẽs, ut moveat potentiam appetitivam ad ſui deſiderium&conſecutionem, ſicut explicat D. Aug. tract. in Joann. his verbis *Ramus viridis trahit ovem, nuces trahunt puerum, & ſua trahit quemque voluptas.* Hæc autem motio eſt tota exlrinſeca & *forinſecùs inſonans*, ut loquitur idem Auguſt. motio autem phyſica, eſt intrinſeca virtus recepta in causâ ſecundâ ut operetur.

2. Præmotio phyſica dividitur in æternam ſive extrinſecam, & in temporalem ſive intrinſecam. Præmotio æterna & extrin-

ſeca, nihil aliud eſt, quam abſolutum divinæ voluntatis decretum, quo Deus ſtatuit ab æterno præbere virtutem aliquam cauſis ſecundis, quâ mediante cauſæ ſecundæ actus ſuos eliciant: præmotio verò temporalis & intrinſeca eſt aliqna virtus, qua Deus in tempore exequitur, quod ab æterno decreverat.

3. Præmotio phyſica intrinſeca, dividitur in illam quæ datur ad actus ſupernaturales, & in illam quæ datur ad actus naturales. Præmotio quæ datur ad actus ſupernaturales, dicitur gratia actualis per ſe efficax. præmotio verò quæ datur ad actus naturales, dicitur præmotio ſive prædeterminatio phyſica, de quâ ibi eſt quæſtio, & quæritur utrùm cauſa ſecunda priùſquam opererur, debeat recipere aliquam virtutem per quam determinetur ad operandum, ita ut illa virtus præcedat operationem cauſæ ſecundæ, & proinde illa virtus dicitur præmotio ſive prædeterminatio phyſica.

Notandum eſt 2. illam perticulam *præ* non deſignare prioritatem durationis ſive temporis, neque prioritatem naturæ in quo; ita ut illa motio priùs exiſtat in causâ quam cauſa operetur, ſed ſolum denotat prioritatem naturæ à quo ſive dependentiæ, quatenus cauſa ſecunda in ſuis operationibus dependet ab illo prævio Dei concurſu, ita ut motio exiſtat in causâ, quando cauſa operatur.

Dicendum eſt dari præmotionem Phyſicam, ita ut omnes cauſæ ſecundæ antecedenter ad actionem qua ſuos effectus producunt, indigeant aliqua virtute qua inclinentur

& applicentur ad operandum actu.

Prob. Deus non ſolum eſt primum ens, ſed etiam prima cauſa ; ergo ſicuti creaturæ ab illo immediatè dependent in eſſe, eique ſubordinantur, ita dependent in operando ſive in cauſando : atqui talis dependentia, ſive immediata ſubordinatio in cauſando, non poteſt ſalvari ſine præmotione Phyſica ; ergo abſolutè debet dari præmotio Phyſica. Major eſt evidés. Probatur verò minor ut cauſæ ſecundæ dicantur immediatè ſubordinari Deo & ab illo dependere, debent ab illo conſtitui in ratione principii actualis : atqui non poſſunt conſtitui in ratione principii actualis, niſi per præmotionem Phyſicam ; ergo ſubordinatio & immediata dependentia cauſarum ſecundarum, non poteſt ſalvari ſine præmotione Phyſicâ. Prob. min. cauſa ſecunda non poteſt conſtitui in ratione principii actualis, neque per ſeipſam, neque per ſuam operationem, neque per concurſum ſimultaneum, neque per motionem moralem; ergo poteſt conſtitui tantùm in ratione principii actualis per præmotionem Phyſicam. Prob. ant. quod omnes partes.

1. Cauſa ſecunda non poteſt ſe determinare per ſeipſam, quia ſic darentur duo prima principia : atqui non poſſunt dari duo prima principia ; ergo cauſa ſecunda non poteſt ſe determinare per ſeipſam prob. ſequela maj. ſi cauſa ſeipſam determinaret, eſſet primum agens talis actionis ; ergo eſſent duo prima principia. Prob. ant. cauſa ſecunda eſſet primum agent talis actionis, ſi illa actio non reduceretur ad aliquod prius agens, ſicut in

cauſam. Illud docet Divus Thomas in 2.diſt. 37. q. 2. a. 2. *Non poteſt vitari*, inquit, *quin voluntas humana ſit primum agens, ſi ejus actio non reducatur ad aliquod prius agens*: atqui talis actio non reduceretur ad uliquod prius agens per concurſum ſimultaneum, quia per illũ actio creaturæ reducitur ſolum in Deum ſimultaneè operantem, & concurſus ſimultaneus attingit ſolum effectum cauſæ ſecundæ, non autem ipſam cauſam ſecundam,niſi indirectè; ergo ſi non daretur præmotio Phyſica, darentur duo prima principia. Præterea *Maximum eſt inconveniens*, inquit D. Auguſtinus lib. 12. de Civitate Dei c. 9. *Quod creatura faciat ſe meliorem, quam Deus illam fecerat*: atqui ſi creatura ſeipſam determinaret faceret ſe meliorem quam Deus illam feecerat; ergo creatura non poteſt ſe ipſam determinare prob. min. melior eſt ſtatus creaturæ agentis, quam creaturæ quæ poteſt tantùm agere; ergo ſi creatura ſe determinaret ſive ſe applicaret ad actionem per ſeipſam, creatura ſe redderet meliorem quam Deus illam fecerat, quia Deus creando creaturam dedit illi virtutem quâ poſſet operari, non quâ actu operarerur.

2. Quod cauſa ſecunda non determinatur per ſuam operationem, quia cauſa eſt determinata,priuſquam eliciat ſuam operationem; ergo nõ eſt determinata per ſuam operationẽ prob. ant. *Operatio non poteſt exire niſi à cauſa determinata*, ut docet Divus Thom. 2. Phyſicorum lectione 8. ergo cauſa ſecunda eſt determinata, priuſquam eliciat ſuam operationem.

3. Quod cauſa ſecunda non determinatur per concurſum ſimultaneum. Quia virtus cauſans aliquid, debet eſſe prius illo quod cauſatur: atqui concurſus ſimultaneus, non eſt prior operatione cauſæ ſecundæ, cum ſit ipſa operatio; ergo concurſus ſimultaneus non poteſt cauſare operationem. Præterea conſtituere cauſam in ratione principii actualis, eſt tollere indifferentiam cauſæ: atqui concurſus ſimultaneus non poteſt tollere indifferentiam cauſæ; ergo non poteſt conſtituere cauſam in ratione principii actualis. Prob. min. quod eſt de ſe indifferens, hoc eſt non magis inclinatum ad agendum quam ad non agendum, non poteſt tollere indifferentiam: atqui concurſus ſimultaneus eſt indifferens cum juxta adverſarios ſpectat voluntatis humanæ cooperationem; ergo concurſus ſimultaneus non poteſt tollere indifferentiam.

4. Cauſa ſecunda non poteſt conſtitui in ratione principii actualis per motionem moralem, quia motio moralis nihil ponit intrinſecè in cauſâ ſecundâ; ergo motio moralis non poteſt applicare cauſam ſecundam ad operationem, quia cauſa ſecunda, quæ nihil intrinſecum recipit, non operatur juxta illud, *Idem manens idem, ſemper facit idem*; ergo cauſa ſecunda poteſt tantum conſtitui in ratione principii actualis per præmotionem Phyſicam.

Obj. 1. cauſæ ſecundæ liberæ poſſunt determinari per ſeipſas; ergo præmotio Phyſica non eſt admittenda pro cauſis ſecundis liberis. Prob. ant. cauſæ ſecundæ liberæ propter ſuam libertatem & propter Dominium

nium quod habent ſupra ſuos actus, ſunt virtualiter in actu: atqui eſſe virtualiter in actu, eſt poſſe ſe determinare ad operandum; ergo cauſæ ſecundæ liberæ poſſunt ſe determinare ad operandum.

Reſp. negando ant. ad cujus probationem diſt. min. eſſe virtualiter in actu, eſt poſſe ſe determinare dependenter à primo determinante, concedo independenter, nego, quia verum quidem eſt quod cauſæ ſecundæ liberæ habēt Dominium ſupra ſuos actus, ſed illud dominium non eſt ſupremum & abſolutū, ſed dependens à ſupremo & univerſaliſſimo Domino; & ita ſicut feudatarius qui non habet ſupremum Dominium ſupra aliquem agrum, non poteſt de illo diſponere, niſi cum ſubordinatione & dependentia à Domino cui ſubditur, eodem modo licet cauſæ ſecundæ liberæ habeant Dominium ſupra ſuos actus, non poſſunt ſe determinare niſi dependenter à Deo.

Obj. 2. cauſæ naturales & neceſſariæ ſunt determinatæ ad unum; ergo non eſt neceſſaria præmotio, ut illæ cauſæ neceſſariæ determinentur.

Reſp. diſtinguendo ant. cauſæ neceſſariæ ſunt determinatæ ad unum in actu primo & quoad ſpeciem concedo, in actu ſecundo & quoad individuum, nego, quia licet cauſæ naturales & neceſſariæ ſint determinatæ in actu primo, quia habent virtutē operativam determinatā ad unum quoad ſpeciem, v.g. ignis eſt determinatus ad producendū calorē in communi: non tamen cauſæ neceſſariæ ſunt determinatæ in actu ſecundo, quia non habent

virtutes operativas determinatas quoad exercitium & individuationem, v.g. ignis non eſt determinatus ad producendum talem calorem in particulari, & ita indiget determinari à cauſa prima cujus prævia motio eſt neceſſario requiſita ad agendum in particulari.

Obj. 3. cauſa principalis debet movere non mota, hoc eſt debet operari ſine motione alterius: ſiquidem per hoc diſtinguitur cauſa principalis à cauſa inſtrumentali, quod cauſa inſtrumentalis moveat mota, hoc eſt operatur per motionem cauſæ principalis; cauſa vero principalis propria virtute operatur: atqui omnes creaturæ ſunt cauſæ principales ſuorum effectuum; ergo omnes creaturæ movent non motæ, hoc eſt operantur ſine motione Divina.

Reſp. diſtinguendo maj. cauſæ principales movent non motæ, in actu primo, con. in actu ſecũdo, neg. quia in hoc conveniũt cauſa principalis & cauſa inſtrumentalis, quod utraque debeat recipere aliquam virtutem per quam actu operetur. Sed illud diſcrimen intercedit inter virtutem quæ imprimitur cauſæ principali, & inter virtutem quæ recipitur in cauſa inſtrumentali, quod virtus quæ imprimitur cauſæ inſtrumentali, non tantum dat efficientiam ad operandum actu, hoc eſt non tantum efficit ut operetur actu, ſed etiam dat ſufficientiam, hoc eſt conſtituit cauſam inſtrumentalem in actu primo ad producendum effectum, ſive dat illi potentiam ad operandum; virtus verò quæ recipitur in cauſa principali, dat tantum efficientiam, hoc eſt efficit ut cauſa ſecunda actu operetur, non verò

dat ſufficientiam, quia ſupponit cauſas ſecundas habere ſufficientem virtutem ad producendos effectus ſibi ſimiles & proportionatos.

Obj. 4. Salvatur immediata ſubordinatio & dependentia cauſæ ſecundæ ad primam per concurſum ſimultaneum; ergo non eſt neceſſaria præmotio phyſica. prob. ant. cauſa ſecunda conſtituitur in eſſe actualis principii per concurſum ſimultaneum.; ergo ſalvatur immediata ſubordinatio cauſæ ſecundæ ad primam. probatur antecedens. concurſus ſimultaneus eſt prior operatione cauſæ ſecundæ prioritate dignitatis, cum ſit opertaio cauſæ ſecundæ ut eſt à Deo, eſt etiam prior prioritate univerſalitatis, quia talis concurſus datur ad producendam rationem entis; ergo per concurſum ſimultaneum cauſa ſecunda conſtituitur in eſſe principii actualis.

Reſp. neg. utrumq; ant. & ad prob. conceſſo ultimo antecedente negatur conſequentia, quia ut concurſus ſimultaneus poſſit conſtituere cauſam ſecundam in eſſe principii actualis, non ſufficit ut ſit prior prioritate dignitatis & prioritate univerſalitatis, ſed deberet eſſe prior prioritate cauſalitatis, quæ prioritas non poteſt convenire concurſui ſimultaneo, cum ſit ipſa operatio cauſæ ſecundæ, aliàs non eſſet concurſus ſimultaneus ſed prævius: præterea concurſus ſimultaneus non attingit cauſam ſecundam, ſed effectum, ut dictum fuit.

Obj. 5. Deus poteſt applicare cauſas ſecundas ad operandum, manifeſtando ipſis objectum, & per talem manifeſtationem ex-

citando cauſas ſecundas ad conſequendum tale objectum; ergo motio moralis ſufficit & proinde non eſt neceſſaria præmotio phyſica.

Reſp. neg. ant. propter triplicem rationem. 1. motio moralis non ſufficit, quia non poteſt tollere indifferentiam, ſed relinquit cauſas ſecundas ſicut antea erant: ſiquidem quod nihil ponit intrinſecè in cauſis ſecundis, relinquit eas, ſicut antea erant: ſed motio moralis, cum ſit omninò extrinſeca; nihil ponit intrinſecè in cauſis ſecundis; ergo motio moralis relinquit cauſas ſecundas, ſicut antea erant. 2. motio moralis non ſufficit, quia cum cauſa ſecunda libera, ſit agens non tantum morale, ſed etiam phyſicum, debet moveri non ſolum moraliter ſed etiam phyſicè, ſcilicet per præmotionem phyſicam. Prima motio convenit Deo, ut eſt ultimus finis & ſummum bonum: ſecunda verò inquantum eſt primum principium, ut patet ex doctrina D. Th. qui docet Deum non tãtũ movere moraliter ſed etiã phyſicè; ſiquidem 1. part. quæſt. 105. art. 4. docet, quod Deus movet voluntatem non ſolum per modum objecti, ſed etiam interiùs inclinando. 3. ſi motio moralis ſufficeret, ſequeretur quod aliquæ cauſæ ſecundæ numquam operarentur, illæ ſcilicet quæ carent ratione & quæ non cognoſcunt convenientiam objecti & illius proportionem cum mediis, & ita non poſſunt ab illo moveri.

Obj. ult. Si daretur præmotio phyſica, vel eſſet ens increatum vel creatum: non poteſt dici quod ſit ens increatum, ut patet,

non poteſt etiam dici, quod ſit ens creatum; ergo non datur. prob. min. omne ens creatum debet eſſe completum vel incompletum: atqui præmotio phyſica non eſt ens completum, quia in nullo ponitur prædicamento, non eſt etiam ens incompletum; ergo non eſt ens creatum. prob. min. quoad 2. partem, quod eſt incompletum & imperfectum non poteſt procedere à Deo: atqui præmotio phyſica procedit à ſolo Deo; ergo præmotio phyſica non poteſt eſſe ens incompletum.

Reſp. negando utramque min. & ad prob. diſting. maj. quod eſt incompletum & imperfectum entitativè & intrinſecè, non poteſt procedere à Deo, con. quod eſt incompletum & imperfectum comparativè & extrinſecè tantum, non poteſt procedere à Deo, neg. quia præmotio phyſica non dicitur ens incompletum & imperfectum, niſi comparativè, ſcilicet per reſpectum ad actum ad quem datur, & per reſpectum ad virtutes quæ permanenter exiſtunt.

ARTICULUS III.

Quid ſit Præmotio phyſica.

NOtandum eſt, quod circa eſſentiam Præmotionis phyſicæ, tres ſunt ſententiæ. 1. eſt ſententia illorum qui dicunt præmotionem phyſicam eſſe actionem cauſæ ſecundæ, ut à Deo præmovente proceden-

tem , & priùs prioritate naturæ influentem & applicantem cauſam ſecundam ad operandum. 2. ſententia eſt illorum qui dicunt præmotionem phyſicam eſſe qualitatem. 3. denique eſt illorum qui dicunt præmotionem phyſicam eſſe virtutem aliquam incompletam & tranſeuntem à ſolo Deo provenientem & impreſſam cauſæ ſecundæ,ut operetur.

Dicendum eſt 1. Præmotionem phyſicam non eſſe actionem cauſæ ſecundæ , ut à Deo præmovente procedentem,

Prob. præmotio phyſica non eſt ipſa operatio cauſæ ſecundæ , ſi non proveniat efficienter à causâ ſecundâ : atqui non provenit efficienter à causâ ſecundâ ; ergo præmotio phyſica non eſt ipſa operatio cauſæ ſecundæ. maj. eſt evidens , quia ſi præmotio phyſica & operatio cauſæ ſecundæ eſſent unum & idem , deberent procedere ab eadem causâ efficiente , & cum operatio procedat à causâ ſecundâ , tanquam à causâ efficiente : ita præmotio phyſica identificata cum ipsâ operatione cauſæ ſecundæ , deberet procedere ab eadem causâ efficiente. prob. verò min. cauſa ſecunda ſe habet merè paſſivè reſpectu præmotionis phyſicæ ; ergo præmotio phyſica non procedit à causâ ſecundâ. probat. ant. ex S. Thom. quæſt. 3. de potentia art. 7. ad 3. *In operatione* , inquit , *quâ Deus operatur movendo naturam , non operatur ipſa natura* ; ergo cauſa ſecunda ſe habet merè paſſivè , reſpectu præmotionis phyſicæ.

Obj. Præmotio phyſica eſt illud quo cauſa ſecunda conſtituitur actu operans : atqui cauſa conſtituitur actu operans per ſuam ope-

rationem ; ergo præmotio phyſica eſt ipſa operatio cauſæ ſecundæ.

Reſp: diſt. min. cauſa ſecunda conſtituitur actu operans per ſuam operationem in genere cauſæ formalis, con. in genere cauſæ efficientis, neg. quia duplex datur determinatio ; una cauſalis & altera formalis : cauſalis eſt à ſolo Deo, & ad quam cauſa ſecunda ſe habet paſſivè illam recipiendo, altera eſt formalis quæ à Deo & à cauſa ſecunda ſimùl procedit, per quam cauſa ſecunda eſt formaliter determinata.

Inſt. Si aſſignarentur illæ duæ determinationes, ſequeretur quod una eſſet inutilis, & prior excluderet poſteriorem ; ergo non dantur illæ duæ determinationes. prob. ant. quod ſemel eſt determinatum, non poteſt iterum determinari ; ergo illæ duæ determinationes eſſent inutiles.

Reſp. diſt. ant. Si aſſignarentur illæ duæ determinationes ſecundum idem, ſequeretur quod una eſſet inutilis, con. ſi aſſignarentur ſecundum diverſa neg. quia illæ duæ determinationes tendunt ad diverſa. 1. cauſalis ſcilicet & effectivè procedens à Deo, tendit immediatè ad applicationem cauſæ ſecundæ, hoc eſt ad operationem : 2. verò formalis ſcilicet, tendit proximè & immediatè ad effectum : nec inutiles ſunt illæ duæ determinationes ; nam ſicut in lapide projecto datur duplex motus, unus cauſalis, ſcilicet impulſus projicientis, alter verò formalis, ſcilicet motus quo tendit ad locum determinatum : ſic in cauſâ ſecundâ poſſunt dari duæ determinationes.

Dicendum eſt 2. Præmotionem phyſicam non eſſe qualitatem.

Prob. Si præmotio phyſica eſſet qualitas, conſtitueret cauſam ſecundam in actu primo, hoc eſt daret illi potentiam ad operandum: atqui præmotio phyſica non conſtituit cauſam ſecundam in actu primo; ergo præmotio phyſica non eſt qualitas. maj. patet, nec min. poteſt negari, quia ſi præmotio phyſica daret potentiam, ſequeretur quod carens præmotione phyſica, non poſſet operari, & ita non eſſet damnandus quando non operaretur.

Dicendum eſt 3. & ult. Præmotionem phyſicam eſſe virtutem aliquam incompletam & tranſeuntem à ſolo Deo provenientem, & impreſſam cauſæ ſecundæ.

Prob. ex S. Thom. quæſt. 1. de potentiâ art, 7. ad 7. *Virtus naturalis*, inquit, *quæ eſt rebus naturalibus collata in ſua inſtitutione, ineſt eis ut quædam forma habens eſſe ratum & firmum in naturâ, ſed id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, habet eſſe quoddam incompletum, per modum quo virtus artis eſt in inſtrumento*; ergo ex mente S. Thom. præmotio phyſica eſt virtus quædam incompleta & tranſiens, recepta in cauſâ ſecundâ qua actualiter operatur.

ARTICULUS IV.

Vtrum præmotio Phyſica repugnet Doctrinæ Sancti Thomæ.

Dicendum eſt Divum Thomam plurimis in locis admittere præmotionem Phyſicam.

Prob. Divus Thomas docet præmotionem Phyſicam, ſi ex mente Sancti Doctoris cauſa ſecunda operans non tantum recipiat virtutem operandi, ſed etiam virtutem aliquam incompletam quâ actu operetur : atqui ex mente Sancti Thomæ cauſa ſecunda operans, non tantum recipit virtutem operandi, ſed etiam virtutem aliquam incompletam quâ actu operetur, ſiquidem q. 3. de potentia art. 7. ad 7. *Virtus*, inquit, *naturalis quæ eſt rebus naturalibus in inſtitutione collata, ineſt eis ut quædam forma habens eſſe ratum & firmum in natura, ſed id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, eſt ut intentio ſola habens eſſe quoddam incompletum per modum quo colores ſunt in aëre & virtus artis in inſtrumento artis*: ergo Sanctus Thomas docet dari præmotionem Phyſicam. Suareſius diſp. 22. Metaph. hujus authoritatis robore & luce perculſus fatetur Divum Thomam ibi docere præmotionem Phyſicam, ſed dicit quod Divus Thomas retractat ſuam ſententiam in 1. p. q. 105. a. 5. Sed conſtat quod in illo articulo

docet pręmotionem Phyſicam: ſiquidem ad 3. dicit *Quod Deus non ſolum dat formas rebus, ſed etiam cõſervat eas in eſſe & applicat eas ad agendũ*: ſed docere quod Deus applicat cauſas ſecũdas ad agendũ, eſt docere dari præmotionem Phyſicam; ergo Divus Thomas in illo etiam articulo docet dari præmotionem Phyſicam, & proinde non retractat ſuam ſententiam. Præterea in toto articulo docet quod Deus operatur in operante: atqui docere quod Deus operatur in operante eſt, docere dari præmotionem Phyſicam; ergo Divus Thomas in toto articulo docet dari præmotionem. Prob. min. Deum operari in operante nihil aliud eſt, quam Deum producere aliquid in operante: atqui Deum producere aliquid in operante, eſt dari præmotionem phyſicam; ergo docere Deum operari in operante, eſt docere dari præmotionẽ Phyſicam.

Obj. 1. Divus Thomas nuſquam uſus eſt nomine præmotiónis & prædeterminationis; ergo præmotio Phyſica non admittitur à Divo Thoma.

Reſp. 1. negando ant. quia Divus Thomas plurimis in locis uſus eſt nomine prædeterminationis; nam quodlibeto 12. q. 3. a. 4. docet quod *à providentia Dei omnia ſunt prædeterminata & ordinata*, & in 1. ſent. diſt. 47. q. unica a. 4. docet *à voluntate Divina modum rerum producendarum eſſe prædeterminatum.*

Reſp. 2. conceſſo etiam ant. negando conſeq. quia licet Sanctus Thomas nuſquam uſus fuiſſet nomine prædeterminationis, illud argumentum nihil faceret contra noſtram con-

cluſionem, quia ſufficit, ut docuerit rem ipſam quam nomine prædeterminationis intelligimus, ſicut licet Scriptura ſacra non uſa fuerit nomine Incarnationis, Trinitatis, Purgatorii & tranſubſtantiationis, tamen docet illa omnia myſteria.

Obj. 2. Sanctus Thomas 1. p. q. 103. a. 1. ad 3. illud diſcrimen conſtituit inter ſagittam emiſſam & creaturam operantem, quod ſagitta recipit impulſum illius naturæ ſuperadditum, illud autem quod creaturæ recipiunt, eſt earum natura; ergo ut creaturæ operentur, nihil ab ipſis diſtinctum debent recipere.

Reſp. diſtinguendo ant. illud quod creaturæ recipiunt ex parte actus primi eſt earum natura, concedo, ex parte actus ſecundi, nego, quia licet cauſæ ſecundæ conſtituantur in actu primo per virtutem operativam quam receperunt à Deo, indigent tamen præmotione Phyſica quâ conſtituantur in actu ſecundo, hoc eſt quâ actu operentur.

Obj. ultimò; ex Sancto Thoma prima ſecundæ q. 9. a. 6. ad 3. *Deus*, inquit, *movet voluntatem hominis, ſicut univerſalis motor ad univerſale objectum voluntatis, quod eſt bonum, ſed homo determinat ſe per rationem ad volendum hoc, vel illud, quod eſt, vel bonum, vel apparens bonum*; ergo ex Sancto Thoma non datur præmotio Phyſica.

Reſp. diſt. authoritatem Divi Thomæ. *Homo determinat ſe per rationem ad volendum hoc vel illud*, dependenter à cauſa prima, concedo, independenter, nego, quia Divus Thomas vult docere diſcrimen intercedens inter

motionem quâ Deus movet voluntatem ad bonum in communi, & inter motionem qua Deus movet voluntatem ad bonum in particulari: ſiquidem Deus movet voluntatem ad bonum in communi, ipſa voluntate elicitivè tantũ ſe habẽte cum ad illud feratur naturali inclinatione, & movet voluntatem ad bonum in particulari ipſa voluntate non ſolum elicitivè, ſed etiam deliberativè ſe habente, cum ad illud feratur liberè & ex electione.

ARTICULUS V.

Vtrum præmotio Phyſica repugnet Conciliis, Sanctorum Patrum Doctrinæ, & Sacræ Scripturæ auctoritatibus.

DIcendum eſt præmotionem Phyſicam non repugnare Conciliis, nec Sanctorum Patrum Doctrinæ, nec Sacræ Scripturæ auctoritatibus.

Prob. 1. concluſionis pars ex Concilio tridentino, ſiquidem ſeſſione 6. can. 3. ſic loquitur, *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, neque poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit*, quibus verbis tria docet Concilium, 1. quod liberum arbitrium movetur & excitatur à Deo, 2. quod liberum hominis arbitrium à Deo

Deo motum & excitatum cooperatur aſſentiendo Deo excitanti. 3. Quod liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum poteſt diſſentire ſi velit : his ergo verbis docet Concilium Tridentinum dari motionem aliquam cui homo cooperatur & cui poteſt diſſentire : atqui illa motio eſt præmotio Phyſica de qua ibi loquitur Concilium ; ergo Concilium docet dari præmotionem Phyſicam. Prob. min. ibi Concilium loquitur de illa motione quam admittebant Calvinus & Lutherus, & per quam dicebant tolli libertatem : atqui illa motio per quam Lutherus & Calvinus dicebant tolli libertatem, erat præmotio Phyſica ; ergo Concilium admittit præmotionem Phyſicam. Et proinde dicendũ quòd Concilium arguit Lutherum & Calvinum, non quia admittebant præmotionem Phyſicam, ſed quia dicebant illam præmotionem tollere libertatem.

Prob. 2. concluſionis pars. Authoritate Sancti Auguſtini qui evidenter docet dari præmotionem Phyſicam; ſiquidem ille docet præmotionem Phyſicam, qui docet motionem de ſe efficacem, ineluctabilem, & inſuparabilem, cujus efficacia fundatur in omnipotentia Dei : atqui Divus Auguſtinus docet talem motionem de ſe efficacem, ſiquidem libro de correptione & gratia c. 17. *Deus de voluntatibus humanis quod vult, cum vult, facit ; habet enim cordium inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem*, &c. 12. ait, *ſubventum eſſe humanæ infirmitati, ut tam inſuperabiliter & indeclinabiliter traheretur.* Illæ autem authoritates non poſſunt intelligi de

concurſu ſimultaneo, nec de motione morali: non intelliguntur de concurſu ſimultaneo, quia non facit ut faciamus: non intelliguntur etiam de motione morali quæ non eſt ineluctabilis, ſed ſæpe inutilis, cujus efficacia non ſumitur ex omnipotentia Dei,ſed ex conſenſu creaturæ; ergo præmotio Phyſica confirmatur authoritate Sancti Auguſtini.

Prob. 3. concluſionis pars. (Dari ſcilicet præmotionem Phyſicam) plurimis ſacræ Scripturæ authoritatibus. 1. enim canticorum dicitur, *Trahe me poſt te, & curremus*: Id eſt prius me move & applica, & deinde ſimul curremus, quæ verba evidenter notant concurſum prævium & concurſum ſimultaneum: illa enim verba, *Traheme poſt te*, nihil aliud ſignificant quam creaturam debere prius trahi, moveri & applicari; & ly *curremus* nihil aliud denotat quam creaturam & Deum ſimul concurrere. Illud etiam confirmat Apoſtolus ad Philip. *Qui cœpit in vobis opus bonũ perficiat*, hoc eſt Deus qui cœpit in nobis opus bonum per præviam motionem nos movendo & applicando ad ipſum, ipſe perficiat per concurſum ſimultaneum concurrendo nobiſcum. Præterea patet plurimis ſacræ Scripturæ authoritatibus Deum movere & applicare cauſam ſecundam ad operandum; ergo præmotio Phyſica confirmatur plurimis ſacræ Scripturæ auctoritatibus.

Obj. 1. Ex Chriſoſtomo Homilia 12. ſupra Epiſt. ad Hebræos, *Deus non antecedit noſtras voluntates, nè noſtrum lædatur arbitrium*; ergo non datur præmotio Phyſica.

Reſp. diſtinguendo ant. *Deus non antecedit noſtras voluntates*, illas determinãdo per mo-

dum naturæ, concedo, per modum liberi, nego, quia ibi Divus Christomus vult tantum docere quod præmotio Phyſica non tollit libertatem, ita diſtinguenda eſt authoritas Divi Damaſceni qui de fide orthodoxa c. 26. dicit, *Deus omnia præſcit, ſed non omnia prædefinit*, ſimiliter eadem diſtinctione poſſunt ſolvi omnes authoritates quæ deſumuntur ex SS. Patribus.

Obj. 2. ex Doctrina Divi Auguſtini; Angeli & Adamus in ſtatu innocentiæ non indiguerunt præmotione Phyſica; ergo non datur præmotio phyſica, prob. ant. Divus Auguſtinus lib. de correptione & gratia c. 11. & 12. docet, *Quod Adamus habuit tantum adjutorium quod ſi vellet deſerere, non quo fieret ut vellet*, ſimiliter quod, *Angeli boni per liberum arbitrium ſteterunt, & quod Adamus potuiſſet permanere in juſtitia, ſi voluiſſet, quod ut vellet, Deus in ejus reliquit arbitrio*: atqui adjutorium quo fit ut velimus idem eſt ac præmotio Phyſica; ergo non indiguerunt præmotione Phyſica.

Reſp. negando ant. ad cujus probationem diſt. authoritatem Sancti Auguſtini, *Adamus non habuit adjutorium quo fieret, ut vellet,* quatenus tale adjutorium datur ad ſanandam infirmitatem mentis & carnis, conc. non habuit tale adjutorium abſolutè & ſimpliciter, neg. quia tale adjutorium de quo loquitur D. Auguſtinus admittendum eſt propter plurimas rationes. 1. Ut ſanet infirmitatem mentis & corporis. 2. Ut ſalvet dependentiam & ſubordinationem quæ debet reperiri inter cauſam ſecundam & primam; verùm quidem

eſt quod propter primam rationem tale adjutorium non erat neceſſarium in Adamo; quia mẽs Adami non erat infirma, ſed propter ſecundã rationẽ tale adjutorium debebat eſſe neceſſariò in Adamo, quia Adamus debebat ſemper dependere eſſentialiter à Deo & in ratione entis & in ratione cauſæ, quæ ſubordinatio non poteſt ſalvari ſine tali adjutorio.

Obj. ult. ex D. Mathęi c. 11. *Væ tibi Corrozaim, væ tibi Bethzaïda, quia ſi in Tyro & Sydone factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in te, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent?* atqui Tyrii & Sydonii pœnitentiam egiſſent ſine præmotione phyſica; ergo ex Scripturâ ſacrâ patet quod pręmotio phyſica non eſt neceſſaria ut cauſa ſecunda operetur. prob. min. Tyrii & Sydonii pœnitentiam egiſſent ſine præmotione phyſica, ſi nihil aliud habuiſſent, quam quod habebant habitatores Corrozaïm & Bethzaïda: atqui habitatores, Corrozaïm & Bethzaïda non habebant pręmotionem; ergo Tyrii & Sydonii pœnitentiam egiſſent ſine præmotione phyſica. Prob. maj. ſi Tyrii & Sydonii habuiſſent pręmotionem phyſicam, objurgatio Chriſti non fuiſſet legitima: atqui illud eſt impium; ergo & aliud. prob. ſeq. maj. ut objurgatio comparativa ſit juſta, debet eſſe æqualitas inter extrema comparationis: atqui ſi Tyrii & Sydonii habuiſſent pręmotionem phyſicam, non verò habitatores Corrozaïm & Bethzaïda, non fuiſſet æqualitas inter extrema comparationis; ergo objurgatio Chriſti non fuiſſet legitima.

Reſp. neg. min. & maj. ad quar. prob. neg. al.

teram maj. & diſt. maj. ult. ſyllog. ut objurgatio comparativa ſit legitima, debet eſſe æqualitas inter extrema comparationis, ex parte actus primi, con. ex parte actus ſecundi, neg. quia ut unus juſtè increpetur præ alio, ſufficit obligationis æqualitas quam unus tranſgreditur: ad hoc autem ut unus ſit obligatus ad aliquid, ſufficit, ut habeat potentiam ad illud agendum, quæ potentia non datur per præmotionem phyſicam: indè eſt quod inæqualitas proueniens ex præmotione; non facit quod objurgatio non ſit legitima.

ARTICULUS VI.

Vtrùm Præmotio phyſica tollat libertatem.

DIcendum eſt, Præmotionem phyſicam non tollere libertatem.

Prob. ex S, Thom. Præmotio phyſica non tollit libertatem, ſi Deus præmovendo voluntatem, operetur ſecundum liberum voluntatis modum, atqui Deus præmovendo voluntatem, operatur ſecundum liberum voluntatis modum; ergo præmotio phyſica non tollit libertatem. prob. min. author. D. Thom. ſiquidem 1. p. quæſt. 19. a. 8. ſic loquitur. *Cum voluntas divina ſit efficaciſſima, non ſolum ſequitur, quod fiant ea quæ Deus*

vult fieri, ſed quod eo modo fiant quo Deus ea fieri vult: vult autem Deus quædam fieri neceſſariò, quædam verò contingenter. & quæſt. 6. de malo, art. unico, ſic loquitur. *Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis quæ deficere non poteſt, ſed propter naturam voluntatis motæ quæ indifferenter ſe habet ad duo, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas, inquantum Deus omnia movet proportionaliter, unumquodque ſecundum ſuum modum*; ergo Deus movendo cauſas ſecundas, movet illas ſecundum liberum humanæ voluntatis modum. Præterea ſi præmotio phyſica tolleret libertatem, ideò maximè, quia Deus non poteſt movere voluntatem humanam liberè & ſine violentiâ: atqui Deus poteſt movere voluntatem humanam liberè & ſine violentia; ergo præmotio phyſica non tollit libertatem. prob. min. cauſa ſecunda ſe liberè movet; ergo Deus poteſt liberè & ſine violentiâ, movere cauſam ſecundam. prob. conſ. ex S. Auguſt. lib. de corrept. & gratiâ, cap. 14. *Deus magis habet in suâ poteſtate voluntates hominum, quam ipſi homines*; ergo cum cauſa ſecunda ſe liberè moveat, Deus poteſt liberè ipſam cauſam ſecundam movere: poteſt etiam addi quod ſi præmotio phyſica tolleret libertatem, ipſa ſententia quæ præmotionem phyſicam admittit, non permitteretur ab Eccleſiâ, quia de fide eſt dari libertatem: atqui ſententia quæ admittit præmotionem phyſicam, permittitur ab Eccleſiâ; ergo præmotio phyſica non tollit libertatem, imò ipſam perficit, quia reducit illam in actum,

hoc eſt, facit ut libertas acquirat ſuum actum.

Obj. 1. De ratione cauſæ liberæ eſt, ut poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poſſit non agere: atqui præmotio phyſica eſt unum ex prærequiſitis, quâ poſitâ præmotione, cauſa ſecunda non poteſt ſuſpendere ſuum actum, quia præmotio phyſica habet infallibilem connexionem cum operatione, cum per ſe & ex naturâ ſuâ ſit efficax; ergo præmotio phyſica tollit libertatem.

Reſp. 1. diſt. maj. De ratione cauſæ liberæ eſt, ut poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poſſit non agere ſimultate potentiæ con. potentiâ ſimultatis neg. quia habere ſimultatem potentiæ, eſt poſſe ponere actum & negationem illius, non quidem ſimul & ſemel, ſed diviſivè: habere verò potentiam ſimultatis, eſt poſſe ſimul ponere duos actus oppoſitos, remanet quidem in voluntate determinatâ ſimultas potentiæ, quia voluntas determinata v. g. ad diſputandum, poteſt non diſputare, non quidem ſimul & ſemel, ſed ſucceſſivè & pro diverſa temporis differentia: in voluntate verò determinata non remanet potentia ſimultatis, quia licet voluntas habeat ſimul potentiam ad oppoſita, non tamen ad oppoſita ſimul ponenda; quia non poſſunt eſſe ſimul.

Reſp. 2. diſt. eandem maj. altera diſtinctione, de ratione cauſæ liberæ eſſe, ut poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poſſit non agere, in ſenſu diviſo, con. in ſenſu compoſito, neg. quia autem adverſarii malignè interpretantur ſenſum compoſitum &

ſenſum diviſum, advertendum eſt quod duplex eſt ſenſus compoſitus & ſenſus diviſus alius eſt hæreticus qui eſt Calvini, alius eſt catholicus qui eſt Thomiſtarum: ſenſus compoſitus hæreticus eſt unio præmotionis cum voluntate, ita ut dicant hæretici, quod voluntas determinata non habeat potentiam ad oppoſitum, quandiu ipſa præmotio remanet conjuncta & compoſita cum voluntate: ſenſus verò diviſus hæreticus eſt ſeparatio ejuſdē præmotionis à voluntate; ita ut dicant hæretici, quod voluntas determinata habet potentiam ad oppoſita in ſenſu diviſo, hoc eſt ſi præmotio tollatur & ſeparetur à voluntate: ſed hæc explicatio falſa eſt & calviniſtica. Senſus ergo compoſitus catholicus qualem admittunt Thomiſtæ, nihil aliud eſt quam unio duorum actuum inter ſe incompoſſibilium: ſenſus verò diviſus, eſt ſeparatio illorum actuum, & ita dicunt Thomiſtæ, quod voluntas determinata ad amorem, ſub ipſa etiam præmotione, hoc eſt quandiù remanet præmotio conjuncta cum voluntate, habet potentiam ad non ponendum amorem, non quidem ſimùl & ſemel, ſed ſucceſſivè & pro diverſa temporis differentia

Inſt. voluntatem poſſe agere in ſenſu diviſo, eſt remanere potentiam ad oppoſitum: atqui non remanet potentia ad oppoſitum; ergo voluntas non poteſt agere in ſenſu diviſo.

Reſp. diſt. maj. Voluntatem poſſe agere in ſenſu diviſo, eſt remanere potentiam antecedentem & in actu primo conc. potentiam conſequentem & in actu ſecundo, neg.

quia datur duplex potentia, antecedens ſcilicet & conſequens. Potentia antecedens eſt facultas qua poſſumus facere aliquid quod non facimus. Potentia verò conſequẽs eſt illa qua facimus aliquid. In voluntate autem determinata non remanet potentia conſequens, ſed tantum remanet potentia antecedens.

Inſt. iterum : illa potentia antecedens eſt inutilis ; ergo in voluntate determinata non remanet potentia antecedens : prob. ant. illa potentia eſt inutilis quæ nuſquam reducitur ad actum : atqui potentia antecedens nuſquam reducitur ad actum ; ergo eſt potentia inutilis.

Reſp. neg. ant. ad cujus probationem diſt. maj. illa potentia eſt inutilis quæ non reducitur & quæ non poteſt reduci, conc. quæ poteſt reduci, nego, quia ut potentia non ſit inutilis, ſufficit ut poſſit reduci ad actum.

Obj. 2. ſi in voluntate determinata remaneret potentia ad oppoſitum, talis actus oppoſitus eſſet poſſibilis : atqui talis actus oppoſitus, non eſt poſſibilis ; ergo non remanet potentia ad oppoſitum, prob. min. *Poſſibili in actu poſito, nullũ ſequitur impoſſibile & abſurdum*, ait Ailes : atqui hujuſmodi actu poſſibili in actu poſito ſequeretur impoſſibile & abſurdum, ſcilicet præmotionẽ Phyſicam non habere ſuum effectum, quod eſt contra naturam præmotionis quæ de ſe eſt efficax, & infallibiliter conſequitur ſuum effectum ; ergo ille actus non eſt poſſibilis.

Reſp. neg. min. ad cujus probationem diſt. maj. *Poſſibili in actu poſito nullũ ſequitur abſurdum*, ſecundũ ſe & abſolutè, concedo, per ac-

cidens & facta aliqua ſuppoſitione.nego,quia nullum ſequitur abſurdum,ſi poſſibile conſideretur ſecundum ſe, ſi verò fiat aliqua ſuppoſitio ſequitur abſurdũ, & ita docet S.Thomas 1. p. q. 23. a. 6. ad 2. *Quod licet ſit poſſibile eum, qui prædeſtinatus eſt, mori in peccato mortali ſecundum ſe conſideratum, hoc tamen eſt impoſſibile poſito prout ſupponitur eum eſſe prædeſtinatum*, ita à pari licet actus oppoſitus ſecundum ſe conſideratus ſit poſſibilis, quia voluntas eſt indifferens ad utrumlibet, hoc tamen eſt impoſſibile ſuppoſito quod voluntas ſit jam determinata ad alium actum ei oppoſitum: & licet ille actus nuſquam ſit ponendus, ſufficit ut poſſit poni, ut ſalvetur ratio libertatis. Illud docet Sanctus Thomas ad Annibaldum q.unicâ a. 4. ad 2. *Licet contrarium ejus quod eſt volitum à Deo non poſſit ſtare cum voluntate Divina, poſſibilitas tamen ad contrarium, poteſt ſtare cum eà, propter contingentiam cauſæ mediæ*, & hoc ſufficit, ut effectus ſit contingens & non neceſſarius.

Inſt. ſi remaneret potentia ad oppoſitum poſſet aliquis reddere præmotionem inefficacem: atqui non poteſt dici quod aliquis poſſit reddere præmotionem inefficacem; ergo non remanet potentia ad oppoſitum prob. maj. ſi de facto aliquis eliceret actum oppoſitum, de facto redderet præmotionem inefficacem; ergo ſi aliquis poſſit elicere actum oppoſitum, poteſt reddere præmotionem inefficacem prob. conſeq. *Quod facit actus actualiter, hoc facit pôtentia poſſibiliter*, inquit Ariſtotel. ergo cum verum ſit quod ſi aliquis de facto eliceret actum oppo-

ſitum, redderet præmotionem inefficacem, ita verum eſt, quod ſi aliquis poſſit elicere actum oppoſitum, poteſt reddere præmotiotionem inefficacem.

Reſp. negando maj. ad cujus probationem, nego conſequentiam & diſt. athoritatem Ariſtotelis, *Quod facit actus actualiter, hoc facit potentia* conſequens *poſſibiliter*, concedo, *hoc facit potentia*, antecedens, nego, quia potentia quæ remanet in voluntate determinata ad unum eſt tantum potentia antecedens ut jam dictum fuit, & illa potentia antecedens non poteſt reddere præmotionem inefficacem.

Obj. 3. de ratione cauſæ liberæ eſt, ut poſſit impedire actum: atqui cauſa præmota non poteſt impedire actum; ergo cauſa præmota non eſt libera, prob. min. cauſa libera non poteſt impedire præmotionem, cum nullam poteſtatem habeat in ipſam prҿmotionem quҿ provenit à Deo; ergo cauſa libera non poteſt impedire actum cum quo prҿmotio habet infallibilem connexionem.

Reſp. negando, min. ad cujus, prob. diſt. ant. cauſa libera non poteſt tollere & impedire prҿmotionem, ſecundum ſuam entitatem, conc. ſecundum terminum, neg. quia prҿmomotio ſecundum ſuam entitatem conſiderata provenit à Deo, quod autem provenit à Deo, non poteſt impediri à cauſa ſecunda, hoc eſt, cauſa ſecunda non poteſt impedire, quin Deus producat prҿmotionem Phyſicam, cauſa tamen ſecunda poteſt tollere illam prҿmotionem ſecundum terminum, hoc eſt impedire, ne ponatur terminus ad quem datur prҿ-

motio: & licet cauſa ſecunda poſſit tollere prǫmotionem ſecundum terminum, non tamen auffert aliquid ex efficacia determinationis, nam ſicuti homo non auffert aliquid ex efficacia conſervationis quâ Deus v. g. conſervat omnes aves, licet homo poſſit tollere talem conſervationem, non quidem ſecundum entitatem, quia non poteſt impedire, quin Deus conſervet aves, poteſt tamen tollere illam conſervationem ſecundum terminum, quatenus poteſt deſtruere avem, ita licet cauſa ſecunda poſſit tollere prǫmotionem ſecundum terminum, non auffert aliquid ex efficacia ipſius prǫmotionis.

Obj. 4. voluntas non poteſt determinari per aliquid prǫvium ad ejus operationem: ſed prǫmotio Phyſica eſt prǫvia ad operationem voluntatis; ergo voluntas non poteſt determinari per prǫmotionem Phyſicam, prob. maj. voluntas debet determinari per determinationem voluntariam & liberam: ſed prǫmotio prǫvia ad operationem voluntatis, non eſt voluntaria & libera; ergo voluntas non poteſt determinari per prǫmotionem prǫviam. Prob. min. illud tantum eſt voluntarium & liberum, quod eſt, vel actus voluntatis, vel quod ſupponit actum voluntatis: atqui prǫmotio prǫvia non eſt actus voluntatis, neque ſupponit actum voluntatis; ergo prǫmotio prǫvia non eſt voluntaria & libera.

Reſp. negando maj. ad cujus probationem diſt. ſecundam maj. voluntas debet determinari per determinationem voluntariam & liberam, vel ut quo, vel ut quod, vel cauſaliter,

liter, vel formaliter, conc. ut quod tantum, & formaliter, neg. ſimiliter diſtinguenda eſt minor propoſitio. Prȩmotio prævia ad operationem voluntatis, non eſt voluntaria & libera, ut quòd, & formaliter, conc. ut quo & cauſaliter, nego, quia præmotio phyſica non eſt libera ut quod & formaliter, hoc eſt non eſt illud quod eſt liberum, ſed eſt libera ut quo & cauſaliter, hoc eſt, eſt illud quo mediante actus hominis ſunt liberi.

Obj. 5. omnis neceſſitas antecedens determinationē cauſæ liberæ & procedens ab aliqua cauſa extrinſeca, tollit ejus libertatem: atqui præmotio phyſica, eſt neceſſitas antecedens, ſive virtus neceſſario prærequiſita, ut cauſa ſecunda operetur, & illa virtus præcedit prioritate naturæ & cauſalitatis cauſæ ſecundæ operationem & determinationem; ergo præmotio phyſica tollit libertatem.

Reſp. diſt. maj. neceſſiras abſoluta tollit libertatem, conc. neceſſitas conditonalis, neg. ſimiliter diſtinguenda eſt, min. præmotio phyſica eſt neceſſitas conditionalis, conc. abſoluta, neg. quia datur aliqua neceſſitas abſoluta quæ prouenit ex naturali & intrinſeca connexione extremorum, ſicut neceſſe eſt Deum eſſe, & hominem eſſe animal rationale, quæ neceſſitas abſoluta tollit libertatem, quia non relinquit potentiam ad oppoſitū. Altera vero datur neceſſitas conditionalis, quæ provenit ex poſitione alicujus rei, quæ potentiam non immutat, ſed illam relinquit in ſuo modo connaturali operandi, & ita non deſtruit libertatem: de illa neceſsitate conditionali loquitur D. Auguſtinus in En-

chyridio, ubi ſic loquitur. *Nullus ſit ſalvus, niſi quem Deus voluerit, & ideo rogandus eſt Deus ut velit, quia neceſſe eſt fieri, quæ uult* quæ verba D. Auguſt. explicat D. Thom. in 1. part. quæſt. 19. art. 8. ad 1. *Per illud verbum Auguſtini*, inquit, *intelligenda eſt in rebus à Deo volitis neceſſitas, non abſoluta, ſed conditionalis*; ibi ergo evidenter aſſerit D. Thom., neceſſitatem conditionalem & ex ſuppoſitione decreti efficacis, ſtare cum libertate.

Obj. ult. Omnis ſuppoſitio antecedens determinationem cauſæ liberæ tollit libertatem : atqui præmotio eſt ſuppoſitio, ſive virtus neceſſariò præſuppoſita ; ergo tollit libertatem

Reſp. diſt. maj. Omnis ſuppoſitio per modum naturæ tollit libertatem, conc. omnis ſuppoſitio per modum liberi, neg. quia præmotio phyſica ſe habet per modum liberi, ut jam probatum fuit.

ARTICULUS VII.

Vtrùm Præmotio phyſica faciat Deum authorem peccati.

Dicendum eſt, Deum phyſicè determinando ad actus peccaminoſos, ut actus ſunt, non eſſe authorem peccati.

Prob. Si Deus non præmoveret ad actum peccaminoſum, ut actus eſt, Deus

non eſſet cauſa univerſalis omnium entium : atqui Deus debet eſſe cauſa univerſalis omnium entium ; ergo Deus debet præmovere ad actus peccaminoſos, ut actus ſunt. Præterea Deus præmovendo ad actus peccaminoſos, ut actus ſunt, non eſt cauſa peccati ; ergo Deus poteſt præmovere ad actus peccaminoſos, ut actus ſunt. Prob. ant. Chriſtus movet ad actum peccati, ut actus eſt, ſacerdotem qui in ſtatu peccati mortalis conſecrat, vel abſolvit, & tamen Chriſtus non eſt cauſa illius peccati ; ergo Deus poteſt movere ad actum peccati, ut actus eſt, quin ſit author peccati. Prob. ant. cauſa principalis debet movere cauſam inſtrumentalem : atqui Chriſtus eſt cauſa principalis, & ſacerdos quando conſecrat, vel abſolvit, eſt cauſa inſtrumentalis ; ergo Chriſtus movet ſacerdotem ad actum peccati, ut actus eſt : poteſt etiam addi quod juxtà ſententiam adverſariorum, Deus concurrit concurſu ſimultaneo ad actum peccaminoſum, ut actus eſt, & tamen Deus non eſt cauſa peccati ; ergo Deus poteſt movere ad actus peccaminoſos, ut actus ſunt, quin Deus ſit author peccati.

Obj. 1. Si Deus præmoveret ad actus peccaminoſos ; Deus eſſet cauſa peccati : atqui Deus non poteſt eſſe cauſa peccati ; ergo Deus non poteſt præmovere ad actus peccaminoſos.

Reſp. diſt. maj. Si Deus præmoveret phyſicè ad actus peccaminoſos ſecundum formale, Deus eſſet cauſa peccati con. ſi Deus præmoveret phyſicè ad actus peccaminoſos ſecundum materiale tantùm, Deus eſſet cau-

ſa peccati, neg. quia in peccato quolibet, duo ſunt, materiale ſcilicet & formale, materiale dicitur illud in quo recipitur malitia peccati, formale verò eſt ipſa malitia, quæ nihil aliud eſt, quam privatio debitæ rectitudinis. Deus quidem præmovet ad materiale peccati, hoc eſt, cauſa eſt entitatis quæ reperitur in peccato: Deus verò non præmovet ad formale, quia non eſt cauſa malitiæ quæ reperitur in peccatis. Illud docet D. Thom. exemplo claudicationis: nam ſicuti anima, inquit, quæ movet corpus ad motum progreſſivum, ut motus eſt, eſt cauſa totius boni quod eſt in motu, non autem illius defectus qui eſt in motu: ſiquidem claudicatio non refunditur in animam, ſed in curvitatem tibiæ, ita Deus movendo voluntatem ad actum, eſt cauſa totius boni quod eſt in actu: ſola autem voluntas mala eſt cauſa defectûs, ſive malitiæ quæ reperitur in tali actu.

Inſt. Atqui Deus non poteſt movere ad materiale peccati, niſi moveat ad formale; ergo ſi Deus moveat phyſicè ad peccatum, eſt cauſa peccati.

Reſp. diſt. ſub. Deus non poteſt movere ad materiale formaliter ſumptum, niſi moveat ad formale con. non poteſt movere ad materiale materialiter ſumptum, niſi moveat ad formale neg. quia materiale peccati conſideratur duplici modo. 1. Ut eſt actus & ens nullum dicens ordinem ad formale peccati, & tunc dicitur materiale materialiter ſumptum. 2. Materiale peccati conſideratur ut dicens relationem ad formale peccati, & tunc dicitur materiale formaliter ſumptum. Materiale

materialiter ſumptum pertinet ad genus phyſicum, & ita cùm ibi ſit quæſtio de Deo ut operante in genere phyſico, Deus determinando phyſicè voluntatem ad actum peccaminoſum, movet illam tantum quantum ad materiale materialiter ſumptum: materiale verò formaliter ſumptum pertinet ad genus morale, & cum ibi non agatur de Deo ut operante in genere morali, Deus movendo voluntatem ad actum peccaminoſum, non movet illam ad materiale formaliter ſumptum.

Inſt. iterum: Deus non poteſt movere ad materiale, niſi moveat ad formale, ſi materiale & formale non poſſint ſeparari: atqui materiale & formale non poſſunt ſeparari in quibuſdam actibus v. g. in odio Dei, in blaſphemia & in idololatria; ergo Deus non poteſt movere ad materiale, niſi moveat ad formale. Prob. min. materiale & formale non poſſunt ſeparari ab illis actibus, ſi illis nulla debeatur rectitudo, hoc eſt ſi nuſquam poſſint fieri boni ſed ſemper mali: atqui illis actibus nulla debetur rectitudo, cum ſemper illos actus quædam conſequatur deformitas; ergo materiale & formale non poſſunt ſeparari ab illis actibus.

Reſp. 1. negando maj. quia licet materiale & formale non poſſint ſeparari, Deus poſſet præmovere ad materiale, quin præmoveat ad formale, ſicuti licet claudicatio non poſſit ſeparari à motu, anima eſt cauſa motus, licet non ſit cauſa claudicationis.

Reſp. 2. Conceſſa maj. negando primam minorem propoſitionem, quia non verum eſt

quod odium Dei, blaſphemia, & idololatria ſint ſemper actus mali, quia in amentibus & furioſis, illi actus non ſunt mali.

Reſp. 3. diſtinguendo ſecundam minorem propoſitionem. illis actibus nulla debetur rectitudo, poſitiva con. negativa neg. quia duplex datur rectitudo: una poſitiva, & altera negativa. Rectitudo poſitiva eſt illa quæ debetur illis actibus qui poſſunt fieri aliquando boni; ſed illi actus, de quibus hîc nunc agitur ſcilicet odium Dei, blaſphemia & idololatria nuſquam poſſunt fieri benè, ergo rectitudo poſitiva non illis debetur. Rectitudo verò negativa hoc eſt indifferentia debetur illis actibus, & ita illi actus poſſunt eſſe indifferentes, ſi non in individuo, ſaltem in ſpecie, quod ſufficit ut materiale & formale poſſint ſeparari.

Reſp. 4. diſtinguendo ultimam propoſitionem: deformitas ex natura actus conſequitur illos actus con. deformitas ex defectu principij neg. quia duplex datur deformitas: una quæ dicitur ex naturâ actus, & eſt illa quæ ipſam naturam actuum conſequitur; altera eſt ex defectu principii, quando ſcilicet actus proveniunt à principio deficienter operante; aliquando utraque deformitas conſequitur actus, interdum verò ſola deformitas ex naturâ actus. Illud patebit exemplo ebrietatis quæ aliquando contingit ſine peccato, & aliquando cum peccato, tunc fit ſine peccato, quando quis inebriatur, nec excedit in potu, ſed inebriatur, quia, vel ignorat qualitatem vini,ut ignoravit Noë, vel propter debiliorem complexionem, tunc illam

ebrietatem quæ non eſt peccatum conſequitur deformitas ex naturâ actus, quia ſemper illa ebrietas videtur deformis, tunc autem ebrietas fit cum peccato, quando aliquis ſciens & volens inebriatur, & illam ebrietatem quæ eſt peccatum conſequitur utraque deformitas, tam ex natura actus, quam ex parte principii. Similiter actus de quibus nunc agitur ſcilicet odium Dei, blaſphemia & idololatria aliquando ſunt peccata, quando ſcilicet fiunt cum deliberatione rationis, & tunc illos actus ſequitur deformitas, & ex natura actus, & ex parte principii, aliquando verò non ſunt peccata, quando ſcilicet non fiunt cum deliberatione rationis, ut in amentibus & furioſis, & tunc illos actus conſequitur tantum deformitas ex natura actus, & ita patet illis exemplis quod in omnibus actibus materiale poteſt ſeparari à formali.

Inſt. iterum. *Quod eſt cauſa alicujus, eſt cauſa illius quod ſequitur:* atqui formale peccati ſequitur ex materiali; ergo ille qui eſt cauſa materialis eſt etiam cauſa formalis.

Reſp. 1. quod olim ſimile argumentum proponebant Pelagiani D. Auguſtino; aſſerebant enim in parvulis non eſſe peccatum originale, quia Deus eſſet author talis peccati, ſic enim ratiocinabantur. Deus eſt cauſa generationis hominis; ergo ſi peccatum originale conſequeretur talem generationem, Deus eſſet cauſa peccati originalis; *Qui enim eſt cauſa alicujus, eſt cauſa illius quod ſequitur.* Huic argumento reſpondet D. Auguſtinus lib. 3. contra Julianum c. 9. Dicens quòd peccatum originale non ſequitur generationem ho-

minis ſecundum ſuam naturam, ut generatio hominis eſt, ſed ut generatio dicit ordinem ad primum parentem qui voluntariè peccavit, ſimiliter dicendum quod Deus eſt cauſa materialis, ut ens eſt, non vero ut dicit ordinem ad malitiam & deformitatem peccati.

Reſp.2.diſtinguẽdo maj.*quod eſt cauſa alicujus eſt cauſa illius quod ſequitur*, ſi ſequatur cõſecutione phyſica,conc.ſi ſequatur cõſecutione Logicali, neg. quia poſita præmotione ſequitur peccatũ conſecutione tantum logicali, hoc eſt ex poſitione præmotionis, infertur tale peccatum eſſe futurum: non vero ſequitur conſecutione phyſica, quia præmotio non influit in peccatum ut peccatum eſt.

Reſp. 3. diſtinguendo min. formale ſequitur ex materiali ut procedit à voluntate creata deficiente, conc. ut actus eſt, neg. quia in voluntatem creatam, non in Deum debet refundi peccatum.

Obj. 2. ſi Deus moveret hominem ad materiale peccati, Deus hominem tentaret & ſeduceret: atqui non poteſt dici, quod Deus hominem tentet & ſeducat; juxta illud Scripturæ *Deus autem intentator malorum eſt*; ergo Deus non movet hominem ad materiale peccati. Prob. ſequela, maj. ille dicitur tentare hominem, qui movet illum ad aliquem actum à quo ſcit malitiam eſſe inſeparabilem: atqui Deus movendo ad materiale peccati, ſcit formale eſſe inſeparabile à tali materiali in particulari; ergo Deus movendo hominem ad materiale peccati, illum tentat & ſeducit.

Reſp. 1. quod idem argumentum poteſt retorqueri in adverſarios docentes dari ſcientiam mediam per quam Deus videt infinitas occaſiones & circunſtantias, in quibus ſi ponerentur homines, non peccarent, attamen Deus ponit illos in aliis circumſtantiis in quibus per eandem ſcientiam cognoſcit homines infallibiliter peccaturos, ex quibus poſſumus aſſerere Deum tentare homines. Nam movere moraliter eſt tentare: ſed Deus moveret moraliter; ergo tentaret homines. Prob. min. occaſiones & circumſtatiæ movent moraliter; ergo ille qui ponit tales occaſiones & circumſtantias, movet etiam moraliter: atqui Deus per ſcientiam mediam, ponit tales occaſiones & circumſtantias in quibus ponit homines, & proinde Deus movet moraliter.

Reſp. 2: diſtinguendo ſequelam, maj. ſi Deus moveret moraliter ad materiale peccati, homines tentaret, conc. ſi moveret tantum phyſicè, neg. quia Deus non poteſt movere moraliter ad peccatum; ſiquidem ageret in genere moris, & ſic eſſet cauſa moralis actus peccaminoſi, quia attingeret materiale formaliter ſumptum.

Inſt. Deus movet phyſicè; ergo poteſt movere moraliter. Prob. conſeq. præmotio phyſica eſt potentior morali, cum præmotio phyſica ſemper habeat ſuum effectum, non vero præmotio moralis; ergo ſi Deus poſſit movere phyſicè ad peccatum, à fortiori poteſt movere moraliter.

Reſp. negando conſeq. ad cujus probationem diſt. ant. præmotio phyſica eſt potentior

morali intenſivè, concedo extenſivè, nego, quia præmotio phyſica dicitur intenſivè potentior, ex eo quod ſemper conſequatur effectum quem non conſequitur motio moralis quæ tamen potentior dicitur extenſivè, quia extenditur ad morale & ad phyſicùm, & ita ſi Deus moveret moraliter, eſſet cauſa peccati.

Inſt. iterum: voluntas non poteſt moveri phyſicè, niſi prius intellectus moveatur moraliter per ſolam repræſentationem objecti: quia voluntas non fertur in aliquod objectum, niſi prius cognitum ab intellectu, & ita voluntas præſuponit ſemper intellectum motum per repræſentationem objecti; ergo ſi Deus moveat phyſicè, debet etiam movere moraliter.

Reſp. diſtinguendo conſeq. Deus debet movere moraliter motione morali impropriè dictâ, conc. motione morali propriè dictâ, nég. quia duplex datur motio moralis: una quæ ſumitur impropriè, & eſt illa quæ fit per ſolam & nudam repræſentationem objecti ſine ſuaſione & præcepto; altera eſt motio moralis propriè dicta, & eſt illa quæ non ſolum repræſentat objectum, ſed tali repræſentationi addit ſuaſionem, vel præceptum; Deus autem movet motione morali primo modo ſumpta, repræſentando ſcilicet bonitatem phyſicam objecti: motio vero moralis propriè dicta quæ fit per ſuaſionem pertinet ad diabolum. Ita dicendum quod cauſæ utriuſque motionis ſunt diverſæ; Deus enim phyſicè movet ad actum peccaminoſum, non vero moraliter; diabolus vero moraliter, non vero phyſicè.

Obj. 3. ſi daretur præmotio ad actum peccaminoſum, ſequeretur quod Deus vellet in tempore, quod noluit ab æterno ſcilicet peccatum: atqui Deus non poteſt velle in tempore quod noluit ab æterno; ergo non datur præmotio phyſica ad actum peccaminoſum, prob. min. Deus vellet & nollet idem, quod involvit contradictionem; ergo Deus non poteſt velle in tempore quod noluit ab æterno.

Reſp. neg. min. ad cujus prob. diſt. ant. Deus vellet & nollet ſecundum diverſa, conc. ſecūdum idē, neg. quia ſicut nulla eſt contradictio quod Deus velit omnes homines ſalvos fieri, & quod Deus nolit omnes homines ſalvos fieri, quia illud ſe tenet ex parte diverſæ voluntatis; ſiquidem vult omnes homines ſalvos fieri volūtate antecedēti, non vero voluntate conſequēti; ita nulla eſt cōtradictio, quod Deus noluerit ab æterno peccatū, & quod Deus velit in tempore peccatū, quia illud ſe tenet ex parte diverſę voluntatis, non vult ab æterno peccatū voluntate poſitiva: & vult in tempore peccatum volūtate permiſſiva, quatenus vult denegare auxilium efficax ad evitandū peccatum.

Inſt. atqui Deus non poteſt denegare auxilium efficax ad evitandum peccatum; ergo nulla reſponſio, prob. ſub. nihil eſt in homine quod ſit cauſa talis denegationis; ergo Deus non poteſt denegare auxilium efficax ad evitandum peccatum.

Reſp. neg. ſub. ad cujus probationem, nego ant. quia Deus denegat gratiam in pœnam peccati præcedentis ſaltem originalis, & proinde dicendum quod homo per peccatūm

præcedens ſaltem originale materialiter & diſpoſitivè Deum movet, ut præbeat concurſum ad materiale peccati, & ut deneget auxilium ad evitandum formale.

Inſt. iterum: illa ratio nulla eſt in Angelis & in Adamo, quia in illis nullum fuit peccatum præcedens, quod materialiter & diſpoſitivè Deum determinaverit; ergo Adamo & Angelis non poterat imputari peccatum.

Reſp. 1. afferendo rationem Divi Auguſtini qui docet quod Deus Adamo & Angelis denegavit auxilium efficax ad implendum præceptum, & illos determinavit ad materiale inobedientiæ, quia voluit *Sed poſſet*, inquit Divus Auguſtinus, *ipſorum voluntatem in bonum convertere, quia omnino potens eſt, poteſt planè? cur ergo non fecit, quia noluit? cur noluit, penes ipſum eſt.* Hanc etiam reſponſionem tenentur dare adverſarii; ſi enim quæratur ab illis; cur Deus poſuerit Adamum & Angelos in illis circumſtantiis in quibus per ſcientiam mediam præviderat in peccatum inobedientiæ illos infallibiliter eſſe lapſuros, tenentur ad inſcrutabilia Dei judicia recurrere, nec poſſunt aliam aſſignare rationem, niſi quia Deus voluit.

Reſp. 2. diſt. ant. nullum fuit peccatum præcedens in genere cauſæ formalis, conc. in genere cauſæ materialis, neg. quia Deus præmovit phyſicè Adamum & Angelos ad entitatem peccati & denegavit auxilium ſpeciale ad evitandam malitiam hujuſmodi actus peccaminoſi in pœnam ipſiuſmet peccati, illud patebit exemplis, ſiquidem calor eſt effectus ignis & tamen calor in genere cauſæ materialis

rialis,& diſpoſitivè pręcedit ignem, quia forma ignis non poteſt introduci, niſi ſubjectum prius fuerit diſpoſitum per calorem, ſimiliter apertio feneſtræ eſt effectus ingreſſus venti, & tamen apertio feneſtræ diſpoſitivè pręcedit ingreſſum venti, quia non poteſt ingredi ventus, niſi feneſtra aperiatur, ita licet inobedientia Adami fuerit effectus proveniens à pręmotione phyſica & à denegatione auxilii, tamen inobedientia pręceſsit in genere cauſæ materialis ipſam denegationem auxilii ſpecialis.

Obj. ult. damnat Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 6. illam ſententiam quæ admittit præmotionem ad materiale peccati: *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera ita ut bona Deum operari, non permiſſive ſolum, ſed etiam propriè & per ſe, adeo ut ſit proprium opus ejus, nonminus proditio judæ, quam vocatio Pauli anathema ſit:* atqui pręmotio Thomiſtica admittitur ad materiale peccati; ergo concilium Tridentinum damnat præmotionem Thomiſticam.

Reſp. negando maj. quia illud argumentum fit à quibuſdam adverſariis qui non intelligunt Doctrinam Thomiſticam, non enim docemus, quòd Deus per præmotionem phyſicam operetur mala opera, ita ut bona, immò aſſerimus quod Deus in bonis operibus facit, ut ſint, & ut ſint bona, præmovendo non ſolum phyſicè, ſed etiam moraliter, hoc eſt alliciendo & perſuadendo; in malis vero operibus Deus facit ut ſint, non vero ut ſint mala, quia non præmovet moraliter, ſed tantum phyſicè.

Inſt. Concilium in illo Canone damnat quod Calvinus & Lutherus aſſerebant: ſed Calvinus & Lutherus aſſerebant Deum non præmovere ad formale, ſed tantum ad materiale, Calvinus enim lib. 2. inſtitutionum c. 4. ſic ait *Excæcatio impiorum & quæcumque unde ſequuntur flagitia, opera Satanæ nuncupantur, quorum cauſa extra voluntatem hominum quærenda non eſt, ex qua radix mali ſurgit, in qua fundamentum regni Satanæ hoc eſt peccatum reſidet*; ergo Concilium Tridentinum damnat præmotionem phyſicam quæ admittitur ad materiale peccati.

Reſp. neg. min. quia Lutherus & Calvinus admittebant præmotionem quæ ſe extendebat ad formale; ſiquidem Lutherus docebat Deum producere in voluntate noſtrâ merè paſſivè ſe habente actiones noſtras, ſive bonas, ſive malas. Calvinus verò docebat voluntatem quidem activè ſe habere ad actus bonos & malos, & utroſque à Deo moveri, ſed addit voluntatem à Deo motam non conſervare potentiam ad oppoſitum; & ita uterque docet peccatum in Deum referendum, ita ut proprium Dei opus ſit non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli; & ſi afferantur quædam authoritates quæ videntur probare Lutherum & Calvinum admiſiſſe præmotionem, tantùm ad materiale peccati, dicendum quòd illa non erat vera Lutheri & Calvini ſententia, & dicendum quòd ſibi contradicunt fingentes negare illud quod reipſa ſentiunt, ut ſecundùm pravam hæreticorum conſuetudinem verbis ambiguis & fallacibus er-

rores ſuos poſſint prætexere & plurimos ad ſuas partes allicere.

QUÆSTIO IV.

De paſſionibus.

CUm in paſſionibus regendis maxima virtutum pars occupetur, & cum vitia ferè omnia ex paſſionum deordinatione proveniant, maximi momenti eſſe paſſiones in rebus moralibus nullus certè negabit. Unde in ethicâ noſtrâ quædam ſunt de paſſionibus dicenda in communi & in particulari.

ARTICULUS I.

De natura paſsionum.

CONTRA CARTESIUM.

DIcendum eſt 1. optimam eſſe paſſionum diffinitionem quam ex Damaſceno lib. 2. ort. fid. S. Thom. refert, qua paſſio dicitur, *Motus appetitivæ virtutis ſenſibilis ex imaginatione boni vel mali*, cui ex eodem S. Thom. addi poteſt, *cum tranſmutatione corporali.*

Prob. & exp. def. 1. dicitur *motus* id eſt actus & operatio appetitus, 2. additur, *virtutis appetitivæ ſenſibilis*, id eſt appetitus ſenſitivi qui eſt cauſa talis operationis. 3. Additur *ex imaginatione boni vel mali.* His verbis denotatur proprium appetitus ſenſitivi motivum eſſe bonum & malum imaginatione apprehenſum, ſicut proprium voluntatis motivum eſt bonum & malum intellectu apprehenſum. 4. Additur *cum transſmutatione corporali*, & per hæc vocabula paſsio differt, tum à motibus voluntatis, quæ cum non reſideat in organo corporeo, non ſe movet per tranſmutationem corporalem, tum à motibus partis ſenſitivæ cognoſcitivæ, quæ licet ſit affixa organo corporeo, per ſe tamen non mutat corpus phyſicè, ſed tantum intentionaliter; paſſio vero phyſicè corpus movet, præcipuè Cor. Unde, inquit S. Thom. 12. q. 24. art. 2. ad 1. *In omni paſſione additur aliquid vel diminuitur à naturali motu cordis, inquantum cor intenſius aut remiſſius movetur ſecundum ſyſtolem, aut diaſtolem.* Unde cum actus appetitus ſenſitivi ſint ſemper conjuncti cum aliqua alteratione & tranſmutatione corporali, ideo paſsiones dicuntur motus terminativè, eo quod terminentur ad motum, nempè alterationem.

Dicendum eſt 2. definitionem paſsionum à Carteſio traditam, non eſſe bonam.

Prob. paſsiones à Carteſio definiuntur, *Perceptiones aut ſenſus, ſive commotiones animæ quæ ad eam ſpeciatim referuntur, quæque producuntur, conſervantur, ac corroborantur per aliquem motum ſpirituum*: atqui illa paſsio-

num definitio non eſt bona, ergo &c. prob. min. in illa definitione docet Carteſius, paſſiones eſſe perceptiones & cognitiones animæ, *Paſſiones*, inquit Ant. Le Grand loc. jam cit. *ideo à Carteſio ſenſus dicuntur, quia ad modum ſenſuum animæ noſtræ adueniunt, & de earum numero ſunt*: Atqui falſum eſt quod paſsiones ſint cognitiones, ſunt enim operationes appetitus ſenſitivi qui non cognoſcit, ſed fertur circa bonum ab imaginatione apprehenſum & cognitum, ergo, &c.

ARTICULUS II.

Quâ in parte corporis anima paſsiones ſuas recipit.

CONTRA CARTESIUM.

NOtandum eſt quod licet anima ſit tota in toto& tota in qualibet parte corporis, vult tamen Carteſius quod intimius & immediatius uni parti uniatur, quam alteri. Sic enim juxtà mentem Carteſij loquitur Ant. Le Grand parte 9. de mente humana art. 7. *Quamvis toti corpori anima ſit nexa, dici tamen poteſt illam intimiùs & immediatiùs uni parti uniri quàm alteri; ſicuti licet Deus per totum mundum diffundatur; & per ſuam potentiam omnia loca repleat; peculiari tamen ratione in cœlo eſſe dicitur, ex quo omnia nutu ſuo regit &*

adminiſtrat : ita dicimus mentem humanam in cerebro, ut pote in ſuprema corporis parte velut in arce reſidere. Non tamen promiſcuè in omnibus, ſed præſertim in quadam glandula, ab Anatomicis conarion nuncupata, ſedem ſuam obtinet: cujus officium eſt, ſpiritus animales excipere, & imagines ab organis corporeis venientes, in ſe unire. Nam illa media & intima cerebri pars eſt, ubi anima proximiùs & ſpecialiùs functiones ſuas exercet, omnia percipiendo & volendo, quæ à corpore proficiſcuntur, aut in illud tendunt. Deinde idem Philoſophus eâdem paginâ ſic proſequitur : *His breviter annotatis, ſtatuendum eſt paſſiones potiſſimum in cerebro reſidere, non autem in corde, ut quibuſdam placet, quia cùm ſint cogitationes, ſive ſenſus, ut diximus, in cerebro à mente producuntur.*

Dicendum eſt falſam eſſe Carteſij ſententiam.

Prob. 1. Falſum eſt animam præcipuè in glandula reſidere, ut jam probatum fuit. 2. Ibi ſunt paſſiones ubi eſt appetitus ſenſitivus : atqui appetitus ſenſitivus eſt in corde, ut probatum fuit in tractatu de animâ. 3. Paſſiones ſentiuntur in corde, nam cor variè contrahitur, aut dilatatur, ut diverſi exurgunt affectus.

Reſpondet huic ultimæ rationi Ant. Le Grand loco jam citato. *Non obeſt*, inquit, *quòd paſſiones quas ſemper aliqua ſanguinis & ſpirituum commotio comitatur, tanquam in corde ſentiantur : id enim provenit quòd omnes corporis noſtri nervi, veluti quædam filamenta in omnes corporis partes protendantur. Vnde quum dolorem in aliquâ ex noſtris*

membris, exempli gratia, pede vel crure patitur, non eſt exiſtimandum animam facultate ſua cognoſcendi in ijs partibus uti, ſed potiùs exiſtimandum eſt eam nervorum miniſterio, qui ab iſtis membris ad cerebrum porriguntur, dolorem ſentire. Non modo diſſimili, quo funiculi extenſi extremitate tractâ, altera ei oppoſita continuo movetur & impellitur. Sic ſanguine bene temperato, & præter ſolitum ſe expandente in corde, nervuli circa orificia diffuſi, ita laxantur ac agitantur, ut inde altiùs motus ſequatur qui naturali quodam ſenſu hilaritatis mentem afficit: ita imaginatione fruitionis alicujus boni, ſpiritus ex cerebro ad muſculos mittuntur, eorumque ope cordis orificia dilatantur, & eius neruuli mouentur, ex motu ex quo ſequi debet lætitiæ ſenſus. Similiter accepto arato nuntio, cùm mens illud imaginatur, ſpiritus ex cerebro ad præcordiorum muſculos fluunt, atque ibi neruulos mouent; quorum operâ alium in cerebro motum excitant qui mentem afficit lætitiæ animalis ſenſu. Eâdem ratione ſenſus triſtitiæ amoris, odij, iræ, metus &c. Per præcordiorum neruulos cerebro cõmunicantur, mentemque ibidem immediatè & præcipuè afficiunt: ac proinde in illo tanquam in ſede primaria reſident, in corde verò & alijs partibus ab illis affectis, tanquam in ſecundaria.

Sed hæc reſponſio ſupponit animam præcipuè in glandulâ reſidere: hoc autem jam refutatum fuit in tractatu de anima.

ARTICULUS III.

De numero paſſionum.

DIcendum eſt quòd rectè enumerantur undecim paſſiones appetitus ſenſitivi. Sex ſunt appetitus concupiſcibilis, ſcilicet amor & odium, deſiderium & fuga, gaudium & triſtitia, quinque verò ſunt appetitus iraſcibilis ſcilicet ſpes, deſperatio, timor, audacia, & ira.

Prob. & exp. paſſionum diviſio ſumitur ex objecto appetitus, quod eſt bonum & malum, tot ergo ſunt paſſiones, quot modis bonum vel malum poſſunt conſiderari: atqui undecim modis illud poteſt fieri, ut examinanti patebit. Si enim bonum abſolutè conſideretur, exurgit amor illius. Si ſit abſens, conſurgit ejus deſiderium. Si ſit præſens cauſatur gaudium. Similiter malum abſolutè oblatum cauſat ſui odium. Si ſit abſens, oritur fuga. Si ſit præſens oritur triſtitia. pro appetitu iraſcibili, ſi objiciatur bonum ut acquiſibile oritur ſpes, ſi offeratur ut impoſſibile acquiſitu, naſcitur deſperatio. Si autem objiciatur malum abſens, & poſſit vitari, oritur timor, & ſimul audacia quâ illud malum ſuperandum aggredimur. Si denique malum ſit præſens, oritur ira.

ARTICULUS IV.

Vtrùm paſsiones ſint bonæ vel malæ moraliter.

Dicendum eſt paſſiones appetitus ſecundum ſe ſumptas, nec bonas eſſe, nec malas moraliter, ſed planè indifferentes.

Prob. 1. auct. ſancti Thom. qui 1. 2. q. 24. a. 1. *Dicendum quod paſſiones animæ dupliciter poſſunt conſiderari, uno modo ſecundum ſe; alio modo ſecundum quod ſubjacent imperio rationis & voluntatis. Si igitur ſecundum ſe conſiderentur, ſunt motus quidem irrationalis appetitus, ſic non eſt in eis bonum & malum morale*, ergo, &c.

Prob. 2. bonum & malum morale ſunt proprium actus humani, ſivè actus qui procedit ab homine, ut homo eſt, & qui fit cum deliberatione; ergo cum paſſiones ſecundum ſe ſumptæ, non ſint actus humani; non enim fiunt ex deliberatione, neque ſunt actus hominis ut homo eſt, cùm conveniant etiam brutis, proindè non ſunt bonæ, neque malæ.

Prob. 3. Paſſiones reperiuntur in brutis, in quibus non habent rationem mali, neque boni, ergo ſecundum ſe, neque ſunt bonæ, neque malæ.

Prob. 4. quod ſecundum ſe, nec laude, nec vituperio dignos efficit homines, non eſt bonũ, neque malum: Atqui paſſiones ex naturâ ſuâ,

nec laude, nec vituperatione nos dignos efficiunt, Vnde ait Ariſt. q. 2. eth. cap. 5. *Non laudatur, aut vituperatur qui timet aut iraſcitur: ſed qui aliqualiter*, id eſt ſecnndum rationem aut præter rationé. Unde etiam S. Aug. ait lib. de civitate Dei. *in diſciplina noſtrâ non tam quæritur utrum pius animus iraſcatur Sed quare iraſcatur; nec utrùm ſit triſtis, ſed unde ſit triſtis; nec utrùm timeat, ſed quid timeat, iraſci enim peccanti ut corrigatur, contriſtari pro afflicto ut liberetur, timere periclitanti, nè pereat, neſcio utrum quiſquam ſana conſideratione reprehendat*, ergo, &c,

Obj. 1. Paſſiones ſunt animæ perturbationes atque morbi, ut ferè omnes aſſerunt Philoſophi; ergo ſunt malæ, non verò indifferentes ſecundum ſe.

Reſp. diſt. aut paſſiones non moderatæ, & rationi non ſubjectæ ſunt animæ perturbationes con. Paſſiones moderatæ & rationi ſubjectæ, ſunt animæ perturbationes neg. quia ut docet S. Aug. lib. 14. cap. 9. paſſiones quæ rationis finis non prætergrediuntur, non debent dici malæ. *Cùm*, inquit, *rectam rationem ſequantur iſtæ affectiones, quando ubi oportet, adhibentur, quis eas tunc morbidas ſeu vitioſas paſſiones audeat dicere? Quamobrem etiam ipſe Dominus in formâ ſervi agere vitam dignatus humanam, ſed nullum habens omninò peccatum, adhibuit eas ubi adhibendas eſſe judicavit, neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falſus erat humanus affectus.*

Inſt. atqui nullæ ſunt paſſiones moderatæ, & rationi ſubjectæ; ergo omnes ſunt animæ

perturbationes prob. ſubſ. omnes paſſiones ſunt motus vehementes ; ergo nullæ ſunt moderatæ.

Reſp. neg.ſubſ.ad cujus prob.neg,ult.conſ. quia paſſiones non dicuntur vehementes, ex eo quod ſint contra rationem, ſed ex eo tantùm quod importent aliquam mutationem in corpore.

Obj. 2. Omnis paſſio, vel eſt conformiter rectæ rationi, vel non eſt conformiter rectæ rationi; ergo omnis paſſio, vel eſt bona, vel mala prob. ant. non datur medium inter hæc duo, ſcilicet agere conformiter rectæ rationi, & non agere conformiter rectæ rationi; ergo omnis paſſio, &c.

Reſp. omnis paſsio quæ elicitur cum dependentia à ratione, vel eſt conformiter rectæ rationi, vel non eſt conformiter rectæ rationi con. Omnis paſsio præcisè ſumpta, ſive ut eſt actus appetitus ſenſitivi, neg. quia ut ait Reveren. Pater Milhet Doctor meritiſsimus tract. 3. quæſt. 2. ſect. 1. controverſia prima, *non datur*, inquit *medium inter hæc duo, agere conformiter & difformiter rectæ rationi reſpectu eius quod agit cum tali dependentiâ à ratione : atque ideò ſi appetitus conſideretur ut ſic, verum eſſe quod omnis eius motus, & conſequenter Paſſio ſit bona vel mala, unde & totum argumentum in hoc ſenſu verum eſt. At ſi ſpectetur actus eius ut eſt actus potentiæ quæ non eſt libera formaliter, contendimus nec bonum eſſe nec malum, ſed indifferentem.*

Plurima alia ſolent de paſsionibus inquiri, quomodo ſcilicet excitentur, quomodo repri-

primantur & exprimantur, ſed hæc potiùs ad Rhetoricam quam ad Philoſophiam pertinent, cum oratoris munus ſit paſsiones concitare vel reprimere.

TRACTATUS III.

De actionibus humaniss.

ISte Tractatus in duas dividetur quæſtioſtiones. In 1. agetur de actionibus humanis tam in communi, quam in particulari. In 2. agetur de virtutibus.

QUÆSTIO I.

De actionibus humanis tam in communi quam in particulari.

CUm in iſtâ quæſtione agatur de actionibus humanis, quæretur præcipuè ipſorum actuum moralitas & indifferentia.

ART.

ARTICVLUS I.

Quid, & quotuplex ſit moralitas actuum humanorum.

DIcendum eſt 1. moralitatem actuum humanorum conſiſtere in ordine tranſcendentali ad regulas morum.

Prob. eodem modo ſe habent actus morales ad ſuas regulas, quo ſe habent actus artificiales ad regulas artis exiſtentes in mente artificis: atqui actus dicuntur formaliter artificiales, quia dicunt ordinem tranſcendentalem ad regulas artis; ita ut ratio artefacti nihil aliud ſit quàm ordo tranſcendentalis ad prædictas regulas; ergo à pari illi actus dicuntur morales qui dicunt ordinem tranſcendentalem ad regulas morum; ita ut moralitas ſit relatio tranſcendentalis ad prædictas regulas: illæ autem regulæ morum ſunt duæ; una eſt remota, ſcilicet lex æterna; altera eſt immediata & proxima, ſcilicet lex naturæ. Lex æterna nihil aliud eſt quàm idea ordinis univerſi, quam Deus in mente ſuâ præconcepit ab æterno; ſecundum autem illam ideam Deus ipſe agit, & omnes creaturæ debent agere, præcipuè rationales. Cum ergo ab illâ Dei ideâ receditur, peccatum eſt: unde peccatum definitur à D. Auguſt. *Quod eſt contra legem æternam.* Per legem naturalem intelligitur recta ratio

dictans quid ſit bonum, quidve malum.

Dicendum eſt 2. moralitatem dividi in bonitatem & malitiam; ita ut nullus ſit actus moralis qui non ſit bonus vel malus.

Prob. ſpecies moralitatis eſt aliquid poſitivum; ergo ratio formalis illius conſtitutiva debet eſſe aliquid poſitivum, quia ratio generica non poteſt contrahi & determinari ad certam ſpeciem per aliquid negativum, cum ex ente & non ente non poſsit conſtitui aliqua ſpecies poſitiva & realis: atqui ſola bonitas & malitia ſunt differentiæ poſitivæ conſtituentes & contrahentes moralitatem, quia cum indifferentia ſit negatio bonitatis & malitiæ, non poteſt conſtituere ſpeciem moralitatis, ergo moralitas adæquatè dividitur in bonitatem & malitiam.

Dicendum eſt 3. bonitatem conſiſtere fundamentaliter in collectione omnium circumſtantiarum; formaliter verò in ordine tranſcendentali ad objectum, ut conſonum regulis morum.

Prob. & expli. actus moraliter ſpectati ſupponunt ſeipſos in eſſe phyſico conſideratos; ergo à pari bonitas moralis ſupponit bonitatem phyſicam tanquam fundamentum: bonitas autem phyſica conſiſtit in collectione omnium circumſtantiarum, juxta illud commune effatum, *Bonum ex integrâ cauſâ: malum ex quocumque defectu*; nam bonum & perfectum idem ſunt, perfectum verò eſt illud cui nihil eorum deeſt quæ illi debentur; ergo bonitas moralis conſiſtit fundamentaliter in collectione omnium circunſtantiarum, formaliter verò conſiſtit in ordine tranſcen-

dentali ad objectum, ut conſonum regulis morum, quia cùm ſit ſpecies moralitatis, debet importare ex parte generis, illud quod importat moralitas, ſcilicet habitudinem tranſcendentalem, & ex parte differentiæ debet addere illud per quod differt à malitiâ, ſcilicet habitudinem ad objectum, ut conſonũ regulis morum; ergo bonitas conſiſtit fundamentaliter in collectione omnium circumſtãtiarum; formaliter verò in ordine tranſcendentali ad objectum, ut conſonum regulis morum. Ex his colligi poteſt quòd malitia conſiſtit formaliter in ordine tranſcendentali ad objectum, ut diſſonum regulis morum.

ARTICULUS II.

Vtrùm moralitas actuum humanorum ſummatur ab objecto, & à circumſtantiis.

NOtandum eſt objectum voluntatis eſſe illud quod per ſe attingitur primariò ab illius actu; circumſtantias verò eſſe quædam accidentia actuum humanorum, quæ iſto Carmine continentur.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur,
quomodo, quando.

Dicendum eſt 1. moralitatem actuum humanorum deſumi ab objecto, tanquam à causâ principali.

Prob. ſicut res naturalis ſumit ſuam bonitatem à formâ, quæ dat illi ſpeciem, ita ſpecifica bonitas moralis ſumitur ex illâ formâ quæ dat ſpeciem actui morali: ſed objectum ſe habet ut forma dans ſpeciem actui; ergo moralitas actuum humanorum deſumitur ab objecto, tanquam à cauſâ principali.

Dicendum eſt ult. moralitatem deſumi à circumſtantiis, tanquam à cauſâ minus principali.

Prob. res naturales non ſolùm diverſificantur à formâ quæ dat ſpeciem, ſed etiam ab accidentibus, v. g. homo non tantùm ſumit ſuam pulchritudinem à formâ quæ dat ſpeciem, ſed etiam ab accidentibus, ſcilicet à debita figurâ & proportione; ergo actus humani non ſolùm ſumunt ſuam moralitatem à formâ, ſcilicet objecto, ſed etiam à circumſtantiis.

ARTICULUS III.

Vtrum dentur actus indifferentes, tum in ſpecie, tum in individuo.

NOtandum eſt quòd res quælibet conſiderari poteſt dupliciter. 1. Secundum ſe, & in actu ſignato, hoc eſt ſecundum ea quæ illi competunt eſſentialiter, homo, v. g. ſic conſideratus nihil aliud eſt quàm animal rationale: 2. Poteſt conſiderari in actu exercito, & ut exiſtit à parte rei, hoc eſt ſecun-

dum ea quæ illi competunt accidentaliter, homo ſic conſideratus non eſt animal rationale tantùm, ſed etiam nigrum, vel album, magnum vel parvum : ita actus humanus, hoc eſt cum deliberatione rationis productus, primò poteſt conſiderari ſecundum eſſentiam : 2. Poteſt conſiderari ut exiſtit à parte rei, & in actu exercito, ſive ut eſt effectus ſuis omnibus circunſtantiis involutus. Ibi agitur de actibus humanis utroque modo conſideratis, & quęritur utrùm indifferentia illis conveniat.

Dicendum eſt 1. dari actus indifferentes ex naturâ ſuâ, qui non ſunt boni, neque mali.

Prob. ratione ſancti Thomæ 1. 2. qu. 18. art. 8. actus moralis ſumit ſuam ſpeciem ab objecto : unde ille actus eſt bonus qui tendit in objectum de ſe moraliter bonum, & ille actus eſt malus qui habet objectum malum ; proinde ille actus eſt indifferens qui habet objectum indifferens ut ſit bonum, & ut ſit malum : atqui dantur plurima objecta indifferentia, qualia ſunt ire in agrum, ambulare, levare feſtucam ; illa enim objecta non habent bonitatem, neque malitiam, ſed meram non repugnantiam ad utrumque, quia ex bono fine poſſunt honeſtari, & ex malo poſſunt vitiari, ergo dantur actus morales indifferentes in ſpecie, & ex naturâ ſua.

Dicendum eſt 2. non dari, neque poſſe dari actum moralem in individuo indifferentem, qui non ſit bonus vel malus.

Prob. 1. auth. Divi Aug. & D. Damaſceni. 1. D. Auguſt. dicit, *cavendum eſſe ne quædam facta hominum media dicamus inter rectè facta*

& peccatum; ergo ex mente S. Auguſt. non dantur actus indifferentes in individuo. 2. Idem docet D. Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 39. *Duos tantùm providentiæ Divinæ modos circa opera hominum conſtituit, ſcilicet modum acceptionis, & approbationis reſpectu bonorum operum, & modum permiſſionis reſpectu malorum*, quos etiam modos docet D. Thomas; atqui ſi darentur actus indifferentes in individuo, deberet dari tertius divinę providentiæ modus reſpectu illorum actuum indifferentium, cum ſub providentiâ approbationis ſolùm cadant actus boni, & cùm ad providentiam permiſſionis ſpectent tantùm actus mali; ergo ex mente S. Aug. & D. Damaſc. non poſſunt eſſe actus indifferentes in individuo.

Prob. 2. ratione ex D. Thom. deſumpta, omnis actio otioſa, eſt mala moraliter: atqui actio quæ non ordinatur ad honeſtum finem, eſt otioſa; ergo eſt mala moraliter. prob. maj. verbum otioſum eſt malum, & puniendum in die judicij, juxta illud Mathæi 12. *Omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij*; ergo à fortiori actio otioſa eſt mala, juxta illud Divi Hieronimi, *ſi de verbis otioſis reddetur ratio, quantò magis de operibus*. Sic probatâ illâ majori, prob. min. actio non dicitur otioſa, eo quòd habeat malum finē & circunſtantiā; ergo poteſt dici tantùm otioſa, eo quòd non habeat finem debitum & convenientem.

Obj. 1. contra 1. concl. inter oppoſita privativè non datur medium: atqui bonum & malum ſunt oppoſita privativè; ergo inter bonum & malum non datur actus indifferens in ſpecie.

Reſp. diſt. maj. inter oppoſitá privativè non dàtur medium abſolutè, con. factâ reduplicatione neg. quia ſicut à parte rei homo eſt cæcus aut videns ſecundum ſuam eſſentiam, tamen neque eſt videns, neque cęcus, ſed abſtrahit ab utroque, ita licet omnis actus in individuo Sit bonus aut malus, facta tamen illa reduplicatione, ſcilicet in ſpecie actus eſt indifferens ad utrumque.

Obj. 2. & ult. non dantur actus indifferentes in individuo; ergo non dantur actus indifferentes in ſpecie, prob. conſequentia ſpecies reperitur in individuis: ergo ſi non dentur actus indifferentes in individuo, non debent dari in ſpecie.

Reſp. neg. conſ. ad cujus prob. diſt. ànt. ſpecies quæ convenit abſolutè rei, debet reperiri in individuis, con. quæ convenit rei ſub aliquâ reſtrictione neg. quia indifferētia actui humano convenit non quidem abſolutè, ſed ſub aliquâ reſtrictione tantùm & reduplicatione, hoc eſt in quantum actus hamanus ſecundum ſuam ſpeciem conſideratus abſtrahit à circunſtantiis, ita illa indifferentia non poteſt convenire actui humano in individuo & in particulari, quia nullus poteſt aſſignari actus humanus qui abſtrahat à circūſtātijs, quilibet enim eſt neceſſariò affectus ſuis circūſtantijs.

Obj. 1. contra 2. concl. homo non tenetur apponere honeſtum finem actui indifferenti in ſpecie; ergo poteſt dari actus indifferens in individuo. prob. ant. duplici ratione: 1. Quia homo poteſt illum actum exercere ob ſolam delectationem & naturæ commoditatem, ergo &c. 2. Quia non datur pręceptum

obligans hominem ad illud, videtur enim impoſſibile obligare hominem ut in omnibus rectum & honeſtum finem apponat; ergo homo non tenetur apponere honeſtum finem actui indifferenti in ſpecie.

Reſp. 1. neg. ant. quia quoties homo operatur cum conſilio & deliberatione, tenetur operari ut homo, hoc eſt juxta inclinationem animæ rationalis, proinde in ordine ad bonum honeſtum, quod eſt finis naturæ rationalis: unde ſi non operetur formaliter vel virtualiter in ordine ad finem honeſtum, hoc ipſo ille actus eſt malus moraliter; nam ſi homo operetur propter ſolam delectationem, tunc more brutorum agit, non ut homo; ſiquidem ſapiens natura fecit ut bruta quæ non poſſunt apprehendere bonum honeſtum, trahuntur à delectabili: & ita ſi homo operetur propter ſolum bonum delectabile, fit ſimilis iumentis inſipientibus quibus non eſt intellectus, & conſequenter peccat:

Reſp. 2. quòd eſt aliquod præceptum obligans homines ad apponendum honeſtum finem quotieſcumque operantur cum deliberatione rationis, & illud præceptum eſt naturale, contentum in præcepto dilectionis Dei ſuper omnia, nam ſi debeamus diligere Deum ſuper omnia, ad illum debemus referre noſtras operationes, ſaltem mediatè & virtualiter, ordinando illas ad aliquem finem honeſtū.

Obj. 2. operari propter ſolam delectationem, v. g. *bibere propter ſolam potus frigiditatem* non eſt operatio rectę rationi diſſona, ſed eſt indifferens; ergo poſſunt dari actus indifferentes in individuo.

Reſp. neg. ant. quia illa operatio non eſt indifferens, ſed eſt moraliter mala, quæ rectæ rationi eſt diſſona, ſed illa operatio de quâ ibi agitur, ſcilicet *bibere propter ſolam potus frigiditatem* eſt operatio rectæ rationi diſſona, ergo eſt moraliter mala. prob. recta ratio poſtulat ut actio producta à creaturâ rationali ſit juxta finem rationalem & juxta inclinationem ejuſdem creaturæ rationalis; ergo illa actio eſt mala moraliter, quę non eſt juxta talem inclinationem, ſed actio de quâ ibi agitur non eſt juxta inclinationem creaturæ rationalis, ordinatur enim ad ſolam delectationem, quæ eſt finis & objectum partis ſenſitivæ & animalis, non verò rationalis; ergo illa actio rectæ rationi eſt diſſona, & conſequenter eſt mala moraliter. Ex his conjiciendum eſt quòd ille qui bibit propter ſolam delectationem, etiam ſi non noceat ſanitati, peccat venialiter.

Obj. 3. in Concilio Conſtantienſi, ſeſſ. 4. damnata fuit iſta propoſitio Joannis Hus, *nulla ſunt opera indifferentia*; ergo ejus contradictoria eſt vera, ſcilicet *aliqua opera ſunt indifferentia.*

Reſp. diſt. conſeq. aliqua opera ſunt indifferentia ſecundum ſpeciem, con. in individuo, neg. quia ille hæreticus docebat tantùm quòd omnia opera exiſtentis in peccato mortali erant peccata mortalia, quod eſt hæreticum.

Obj, 4. & ult. ſi nulli eſſent actus indifferentes in individuo, ſequeretur quod qui feſtucam tolleret, continuò peccaret, niſi rectum & honeſtum finem apponeret; atqui

illud non poteſt dici, ergo nec aliud.

Reſp. neg. ſeq. maj. quia hujuſmodi & ſimiles actus non fiunt ex deliberatione: hoc autem præceptum non obligat, niſi quando operamur humano modo, hoc eſt cum conſilio & deliberatione; ergo ſi tales actus fierent ex deliberatione, deberet iſtis rectus apponi finis, ſaltem viritualiter, alioquin eſſent peccata, etiam ſi fierent propter bonum delectabile.

ARTICULUS IV.

Vtrùm ex duobus bonis voluntas poſſit eligere minus bonum relicto majori, vel ſaltem æquale.

NOtandum eſt electionem eſſe actum voluntatis verſantem circa media. 1. dicitur actus voluntatis, quia objectum electionis eſt bonum utile & conveniens; ſed ſola voluntas verſatur circa bonum, & ita electio eſt actus voluntatis; & dicitur verſari circa media, quia electio eſt in operabilibus, quod diſcurſus in ſpeculativis: ſed intellectus non diſcurrit circa principia, ſed circa concluſiones, ita voluntas non eligit finem ut finis eſt, ſed media quæ ordinantur ad finem.

Dicendum eſt 1. ex duobus bonis inæqualibus ab intellectu propoſitis voluntatem non

poſſe eligere minus bonum relicto majori.

Prob. voluntas non poteſt ferri in malum ut malum eſt, ut jam probatum fuit: atqui voluntas tenderet in malum ut malum eſt, ſi relicto majori bono eligeret minus bonum; ergo ex duobus bonis inæqualibus ab intellectu propoſitis, voluntas non poteſt eligere minus bonum. prob.min. minus bonum comparatum ad majus bonum habet rationem mali. ſiquidem ut docet Ariſt. & S. Thom. *Medium comparatum ad unum extremum, videtur alterum extremum*, v. g. tepidum comparatum cum calido, dicitur frigidum; ergo ſi voluntas eligeret minus bonum relicto majori, tenderet in malum ut malum eſt.

Dicendum eſt 2. ex duobus bonis ęqualibus voluntatem neutrum poſſe eligere, niſi intellectus majorem aliquam bonitatem in aliquo invenerit.

Prob. potentia indifferẽs non elicit operationem, niſi potiùs determinetur ad illam; atqui voluntas quæ eſt potentia indifferens, non determinatur, quando proponuntur duo bona ęqualia; ergo voluntas nuſquam operabitur, quando proponuntur duo bona æqualia. prob.min. ſi voluntas determinaretur, vel determinaretur ab objecto, vel à ſe ipsâ: atqui non poteſt determinari ab objecto, quia ſupponitur illa bona eſſe omninò æqualia, & ita non eſſet potior ratio, cur unum potiùs determinaret quàm aliud, nec etiam ab intellectu, quia intellectus non aliter determinaret voluntatem quàm proponendo objectum; nec denique à ſeipsâ, quia cum voluntas ſequatur cognitionem intellectûs, non

poteſt ſe determinare ad illud quod intellectus omninò æquale & indifferens judicat; ergo ex duobus bonis propoſitis omninò æqualibus voluntas neutrum poteſt eligere.

Obj. 1. voluntas ſemper remanet libera; ergo voluntas relicto majori bono, poteſt eligere minus bonum, & ex duobus æqualibus poteſt eligere quodcumque voluerit.

Reſp. diſt. conſeq. voluntas uno relicto poteſt eligere quodcumque voluerit, mutato judicio minoritatis, vel æqualitatis, con. remanente ſemper eodem judicio, neg. quia cum voluntas ſit potentia cæca, ſequitur dictamen rationis, & ita non poteſt moveri, quando intellectus per judicium repræſentat illi aliquod objectum, vel malum, vel ut indifferens.

Obj. 2. ſi alicui proponantur duo bona æqualia, v. g. ſi famelico proponantur duo panes æquales in quantite & æqualitate; ita tamen ut non ei liceat utrumque tollere, vel unum eliget, vel non: ſecundum non poteſt dici; ergo ſi alterum ſumat, voluntas poteſt ſumere unum ex duobus æqualibus bonis.

Reſp. 1. quòd aſſumet unum ex illis panibus quodam impetu, & non ex deliberatione & electione.

Reſp. 2. quòd ſi ſumat ex deliberatione, & ex propriâ electione, voluntas prius applicabit intellectum ut in uno ex illis panibus quærat & inveniat talem bonitatem quæ poſſit movere voluntatẽ: ratio libertatis quam vult exercere circa unum potiùs quam circa alium, habebit rationem boni allicientis & inclinantis

inclinantis voluntatem ad eligendum illud quod ex ſuâ intrinſecâ bonitate æquale & indifferens eſt, & tunc ipſa libertas non ſe tenet tantum ex parte principii electivi, ſed etiam ex parte objecti.

Obj. ult. Deus de facto eligit minus bonum relicto meliori; nam voluit iſtum mundum creare potius quam alium perfectiorem; ergo voluntas poteſt eligere minus bonum relicto meliori.

Reſp. neg. conſ. & paritat. quia illud eſt diſcrimen inter voluntatem Divinam & humanam, quòd voluntas Divina non ſupponit bonitatem in rebus quas eligit, nec ideò illas eligit, quia ſunt bonæ, ſed potius ſunt bonæ, quia Deus illas eligit: voluntas autem humana ſupponit bonitatem; & ita licet voluntas Divina poſſit eligere minus bonum relicto meliori, idem non poteſt dici de voluntate humanâ.

ARTICULUS ULT.

Vtrùm omnia infidelium opera ſint peccata.

Dicendum eſt omnia infidelium opera non eſſe peccata,

Prob. 1. auth. Scripturæ ſacræ, & SS. Patrum. Scriptura ſacra neminem hortatur ad malè operandum, nec remuneratur peccata: atqui ſacra Scriptura hortatur infideles

ad quædam opera, ut patet Danielis 4. ubi dicitur infideli Nabuchodonoſor, *Peccata tua eleemoſinis redime*: laudat etiam multa infidelium opera, & illa remuneratur, ut patet in obſtetricibus Ægyptiis quas propter ſalvatos Iſraëlitas Deus eſt remuneratus, eis ædificando domos. Ergo ex Scripturâ ſacrâ omnia infidelium opera non ſunt peccata. Illud etiam docet D. Thom. diſt. 4. quæſt. 1. art 2. *Quamvis*, inquit, *ab infidelium actibus ſubtrahatur illa bonitas ſecundum quam actus meritorius dicitur, remanet tamen illa bonitas ſecundum quam opera poſſunt dici bona bonitate virtutis politicæ, vel ex circumſtantia, vel ex genere.* Illud etiam docet D. Auguſt. lib. de Spiritu & litterâ cap. 21. *Si autem hi qui naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt, nondum habendi ſunt in numero eorum quos Chriſti juſtificat gratia, ſed in eorum potius quorum etiam impiorum nec Deum verum veraciter & juſtè colentium, quædam tamen facta, vel legimus, vel novimus quæ ſecundum juſtitiæ regulam, non ſolùm vituperare non poſſumus, verum etiam meritò, rectéque laudamus*; ergo ex mente S. Thom. & D. Auguſt. omnia infidelium opera non ſunt peccata.

Prob. 2. ratione: ſi omnia infidelium opera eſſent peccata, ſequeretur quòd infidelis neceſſariò peccaret: atqui non poteſt dici quòd infidelis neceſſariò peccet; ergo omnia infidelium opera non ſunt peccata. Prob. ſeq. maj. inſtante naturæ præcepto, v. g. dandi eleemoſinam alicui in extrema neceſſitate conſtituto, peccaret ſemper, quòcumque ſe verteret; nam ſi non daret eleemoſi-

nam, peccaret contra præceptum naturæ, ſi daret eleemoſinam, peccaret, ut ſupponitur; ergo infidelis neceſſariò peccaret.

Obj. 1. Matthæi cap. 7. dicitur, *Arbor mala non poteſt bonos fructus facere*: atqui omnis infidelis eſt arbor mala; ergo non poteſt bonos fructus facere, hoc eſt bona opera facere.

Reſp. diſt. maj. *Arbor mala non poteſt bonos fructus facere*, hoc eſt infidelis non poteſt bona opera facere bonitate ſupernaturali, con. bonitate morali;& in ordine naturali, neg. quia illæ Scripturæ ſacræ authoritates debent intelligi de bonitate ſupernaturali, non verò de bonitate morali in ordine naturali; ſiquidem Scriptura ſacra, & SS. Patres univerſa opera, quæ ſecluſâ Divinæ gratiæ ope fiebant, ne dum non bona dicebant, ſed ſæpiſſimè mala & vitia appellabant, non quòd illa verè, & ſemper mala & peccata eſſe crederent, ſed quia ſciebant ipſa, neque ad acquirendam juſtitiam prodeſſe, neque ad comparandam æternam felicitatem, & proinde nolebant ipſa opera inter bona adſcribi.

Obj. 2. ex D. Paulo, *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*: ſed nulla infidelium opera ſunt ex fide; ergo ſunt peccata.

Reſp. diſt. maj. quod non eſt ex fide neque propriè, neque impropriè ſumptâ peccatum eſt, con. quod non eſt ex fide propriè ſumptâ, benè tamen ex fide impropriè ſumptâ, peccatum eſt, neg. quia fides aliquando ſumitur pro dictamine conſcientiæ, & ſic ſunt quædam infidelium opera quæ poſſunt eſſe

Digitized by Google

bona, quia infidelis poteſt ipſa præſtare conformiter ad dictamen conſcientiæ: ſi verò illa D. Pauli authoritas intelligatur de fide Theologicâ, poteſt alio modo diſtingui illa propoſitio: quod non eſt ex fide, contrariè & repugnanter, ita ut ſenſus illius propoſitionis ſit, quod eſt contra fidem & fit ex motivo infidelitatis, peccatum eſt, con. quod non eſt ex fide Theologica, abſtractivè tantùm, peccatum eſt, neg. utramque ſolutionem docet S. Thom. explicans illam auth. S. Pauli.

Ob. ult. S. Auguſt. pluribus in locis aſſerit quòd virtutes infidelium non ſunt veræ virtutes, ſed vitia; ergo infidelium opera non ſunt bona.

Reſp. diſt. ant. virtutes infidelium non ſunt veræ virtutes in ordine ſupernaturali, con. in ordine naturali, neg. quia illæ virtutes dicuntur veræ virtutes in ordine ſupernaturali quæ poſſunt æternam vitam demereri, ſed virtutes, quæ erant in infidelibus, non poterant demereri æternam vitam; ergo non erant veræ virtutes in ordine ſupernaturali, benè tamen in ordine naturali. Dicebantur autem vitia, quia erant medium inter virtutes & vitia; medium autem uni extremo comparatum, inducit rationem alterius extremi oppoſiti: ita virtutes naturales comparatæ ad virtutes ſupernaturales, dicuntur vitia.

QUÆSTIO ULT.

De Virtutibus.

CERTUM eſt quòd aliæ ſunt virtutes intellectuales, aliæ morales. Virtutes intellectuales reſident in intellectu quem perficiunt ad attingendam veritatem. Virtutes morales perficiunt appetitum circa bonum. Ibi tantùm agetur de virtutibus moralibus, & de his agetur, tum in communi, tum in particulari.

ARTICULUS I.

De definitione virtutis.

DIcendum eſt plurimas aſſignari definitiones virtutis.

Prima ſumitur ex Ariſt. 2. eth. cap. 6. ubi dicit quod *virtus eſt habitus qui bonum facit habentem, & opus ejus reddit bonum.* In hac definitione *habitus* eſt genus: quia per illud vocabulum convenit: cęteræ verò particulæ habent rationem differentiæ, quia proprium

virtutis eſt reddere hominem bonum, & actus ejus ex omni parte perfectos.

Secunda ſumitur ex eodem Ariſt. ibidem, ubi definit virtutem *habitum electivum in ea mediocritate, quæ eſt ad nos, conſiſtens, definitâ ratione quoad nos, prout determinaverit ipſe prudens,* Ex hac definitione oritur difficultas in qua quæritur, utrùm virtus conſiſtat in mediocritate, ſed hoc in ſubſequenti articulo reſolvetur.

Tertia ſumitur ex S. Aug. lib. 2. de lib. arb. *Virtus*, inquit, *eſt bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, & nullus malè utitur* Ly *qualitas* tenet locum generis remoti, nam virtus pertinet ad primam ſpeciem qualitatis, ſcilicet habitum ut ad proximum genus, cæteræ verò particulæ faciunt differentiam, ut conſideranti patebit. Hæc ultima definitionis verba. *Nullus malè utitur*, maximam excitant controverſiam inter S. Th. & Scoti diſcipulos. Thomiſtæ contendunt virtutem eſſe habitum eſſentialiter bonum, qui ex bono fieri malus nuſquam poteſt. Scotiſtæ verò docent habitum poſſe ex bono in malum degenerare: mediam ſententiam ſequitur auctor Philoſophiæ veteris & novæ tract. 2. Phil. mor. diſp. 3. q. 1. docet enim quòd *virtus eſt habitus eſſentialiter bonus, quo nemo per ſe abuti poteſt, ſed tantùm ex accidente*, & infra perſequitur. *Nam ut ethnicus qui habitum temperantiæ cum idolis ſerviret, acquiſiuit; ſi quis dum eſſet chriſtianus, virtutes coluit, factus apoſtata facilè hos habitus ante laudabiles in vanam ſuperſtitionem pervertet. Simili ratione, cùm quis ante opulentus, liberalis fuit, ſi facultates amittat,*

& adhuc quod ſupereſt largiùs velit effundere, qui prior fuit habitus laudabilis, vitio vertetur, idque per accidens. Magis tamen probanda eſt Thomiſtarum opinio quæ ſic ab eodem authore eodem loco jam citato confirmatur: habitus per ſe & ex naturâ ſuâ inclinat ad actus iis ſimiles, quibus fuit comparatus: ſed virtus per actus bonos & ſæpiùs repetitos fuit acquiſita; ergo ex naturâ ſuâ ad bonos actus tendit: nam & bonum reddit habentem, & actiones ejus bonas efficit.

ARTICULUS II.

Vtrum virtus conſiſtat in medio.

NOtandum eſt quòd duplex eſt medium: aliud medium rei ſeu arithmeticum: aliud medium rationis ſeu geometricum, medium rei ſeu arithmeticum, eſt illud quod æqualiter diſtat ab extremis, ita ut tantum ſuperet minus, quantum ſuperatur à majori. Illud patet exemplo numeri octonarii qui eſt medius inter numerum quaternarium & duodenarium; ſicut enim numerus octonarius ſuperat quaternarium quatuor unitatibus, ita à duodenario ſuperatur quatuor pariter unitatibus; iſtud medium rei non requiritur ad virtutem, quia ut inquit R. P. Milhet Doctor meritiſſimus, *Si virtus omnis teneret medium rei, ſæpe excederet, ut patet in hac ſuppoſitione: ſit exceſſus v. g. circa temperantiam*

comedere decem panis libras, & defectus ſolum duas comedere, ſi eligatur medium ab utroque æqualiter diſtans, ſcilicet libræ ſex, erit exceſſus reſpectu delicatioris, & defectus reſpectu robuſtioris; ergo tunc debet eligi medium rationis, quod ſit penſando ſingulas circunſtantias perſonæ, temporis &c. Illud tamen medium rei ſervatur in juſtitiâ commutativa, quæ verſatur circa emptiones, venditiones, cõmutationes &c. Medium rationis ſeu geometricum eſt illud quod ab extremis æqualiter non diſtat, ſed ſolùm ſecundum proportionem: ut eſt numerus octonarius inter quatuor & ſexdecim; habet ſiquidem proportionem duplam ad quatuor, ſnbduplam ad ſexdecim: Iſtud autem medium requiritur ad virtutem: Illud autem medium non eſt idem reſpectu omnium, ſed variatur pro varietate locorum, temporum, ætatum &c. illud tamen medium non poteſt quilibet pro ſuo arbitrio definire, ſed illud tantum pertinet ad virum prudentem, ut denotant hæc verba in virtutis definitione poſita, *ſecundum rectam rationem & ut vir prudens definierit.*

Dicendum eſt virtutem in medio conſiſtere.

Prob. 1. quia virtus eſt habitus electivus in mediocritate conſiſtens: ut patet ex virtutis definitione. 2. quia proprium virtutis eſt, medium adhibere perturbationibus & actionibus, in quibus exceſſus & defectus, magis & minus quàm par ſit, inveniuntur. 3. Inductione iſta probatur: Siquidem *fortitudo* media eſt inter ignaviam & audaciam: *Magnificentia* inter parcitatem & ſumptuoſitatem;

modeſtia inter honoris incuriam & ambitionem: *temperantia* inter inſenſibilem ſeu inter nullius voluptatis ſenſum, & intemperantiam.

Obj. charitas, & plurimæ aliæ virtutes, non poſſunt in medio conſiſtere. Cum *amor*, inquit, ant. Le Grand parte decima de vita rectè inſtituenda art. 7. *Quo in Deum ferimur, & mæror quo peccata noſtra deteſtamur, virtutes ſint, quomodo ad mediocritatem erunt redigendi, cum nullos limites habeant, & unus ad Deum qui infinitus eſt, dirigatur; alius vero uſque ad ſui nihilum deſcendat? qui Deus nimium diligere poteſt? quis nimio dolore ob commiſſa peccata compungitur*; ergo virtus in medio non conſiſtit.

Reſp. quod quando dicimus, quod virtus in medio conſiſtit, loquimur tantum de virtutibus moralibus, non vero de virtutibus Theologicis in quibus nullus poteſt eſſe exceſſus, niſi per accidens & ex parte noſtri, ut ſi quis vellet ſine meritis ſperare, aut habens merita, non ſperare, aut applicare ſe ad amandum Deum, quando alia ex præcepto facienda ſunt.

ARTICULUS III.

De cauſa efficiente & ſubjecto virtutum.

CONTRA PLATONICOS, Avicennam & Scotum.

NOtandum eſt 1. quod virtutes habent quatuor cauſarum genera. Jam de formali egimus, ubi quæſitum fuit, quid ſit virtus; de tribus aliis nunc diſputandum ſupereſt. Quando atem quæritur cauſa efficiens virtutum, idem eſt ac ſi quæretur, unde in nobis proveniant virtutes, utrum à natura, vel aliunde. Cauſa vero finalis virtutum eſt illud propter quod dantur virtutes certum eſt autem quod finis virtutum eſt operatio bona & recta rectitudine morali. Cauſa vero materialis eſt ſubjectum in quo recipiuntur, virtutes de cauſa efficiente ergo & materiali in iſto articulo diſputabitur.

Notandum eſt 2. quod circa cauſam efficientem virtutum triplex eſt ſententia. Prima eſt Platonicorum exiſtimantium virtutes eſſe in anima ab intrinſeco; volunt tamen quod ex corporis gravitate impediuntur & quaſi ſepultæ manent, donec per exercitium excitentur. Secunda eſt avicennæ exiſtimantis virtutes eſſe totaliter ab extrinſeco; nimirum ab intelligentia agente & influente in animam. Tertia eſt Ariſtotelis docentis virtutes eſſe in nobis à natura ſecundum ap-

titudinem, non vero ſecundum perfectionem.

Notandum eſt 3. quod circa cauſam materialem ſive ſubjectum virtutum, duplex eſt ſententia. Prima eſt S. Thomæ qui 12. q. 56. art. 6. docet quòd virtutes quæ ordinant hominem in bonum proprium, ut eſt temperantia & fortitudo, reſident in appetitu ſenſitivo; & quod virtutes quæ ordinant hominem in Deum ut charitas, vel in bonum proximi ut juſtitia, ſunt in voluntate tanquam in ſubjecto. Secunda ſententia eſt Scoti docentis nullam virtutem eſſe in appetitu, ſed omnes eſſe in voluntate.

Dicendum eſt 1. contra Avicennam virtutes non eſſe totaliter ab extrinſeco.

Prob. quod à natura inchoatur, non eſt totaliter ab extrinſeco; atqui virtutes à natura inchoantur, cum quædam virtutum ſemina & velut igniculos author naturæ nobis inſeruerit; ergo virtutes non ſunt totaliter ab extrinſeco.

Dicendum eſt 2. contra Platonicos virtutes non eſſe nobis congenitas ſecundum perfectionem.

Prob. ſi virtutes eſſent nobis congenitæ ſecundum ſuam perfectionem, vitia eſſent contra naturam, & proinde homines vitiis aſſueſcere non poſſent, nam iis quæ ſunt contra naturam, nuſquam aſſueſcimus, & tamen experientiâ conſtat, quòd vitiis plerumque & facilius quam virtutibus aſſueſcimus; ergo virtutes nobis non ſunt congenitæ ſecundum perfectionem ſuam. Præterea virtutes actibus repetitis acquiruntur, ſicut artes & ſcientiæ.

Dicendum eſt contra Scotum aliquas virtutes eſſe in appetitu ſenſitivo, fortitudinem ſcilicet in iraſcibili, temperantiam verò in concupiſcibili.

Prob. ex Ariſt. *Fortitudo & temperantia ſunt virtutes partium irrationalium*; ergo non ſunt virtutes voluntatis, & proinde non ſubjectantur in voluntate. Prætcrea ibi debent eſſe virtutes, ubi ſunt extrema quę hujuſmodi virtutes debent moderari, atqui extrema ſcilicet paſſiones in plus vel minus excedentes ut audacia & timor pro fortitudine, ſunt in appetitu ſenſitivo; ergo ibi debēt eſſe virtutes.

Obj. 1. virtus moralis eſt habitus electivus; ergo virtus poteſt tantum ſubjectari in illa potentia ad quam pertinet electio: atqui ad appetitum ſenſitivum non pertinet electio; ergo virtus moralis non ſubjectatur in appetitu ſenſitivo. prob. min. electio pertinet tantùm ad illam potentiam quæ eſt libera: atqui appetitus ſenſitivus nō eſt potētia libera, cùm ſola uoluntas ſit potentia formaliter libera.

Reſp. neg. min. ad cujus prob. diſt. min. appetitus ſenſitivus ſecundum ſe ſpectatus, non eſt liber con. appetitus ſenſitivus, quatenus poteſt obedire voluntati, eique reſiſtere, non eſt liber ſaltem participativè neg. quia appetitus ſenſitivus poteſt conſiderari duplici modo. 1. Secundum ſe., hoc eſt ut communis brutis & hominibus, & ſecundum illam formalitatem non eſt liber. 2. Poteſt conſiderari, quatenus poteſt obedire voluntati, & ſecundum illam formalitatem habet quandam participationem libertatis, & proinde poteſt eſſe ſubjectum virtutis.

Inſta-

Inſt. Si appetitus in homine haberet quandam participationem libertatis, appetitus humanus & brutorum diſtinguerentur ſpecificet ; atqui illud non poteſt dici ; ergo &c.

Reſp. neg. maj. quia ut ait R.P. Milhet tract. 4. ſect. 2. conc. 1. *Illud eſt extra rationem appetitus ut ſic quidquid alii dicant qui volunt ſic differre.*

Obj. 2. & ult. virtutes morales remanent in anima ſeparata, & tamen non remanet appetitus ; ergo non ſubjectantur in appetitu.

Reſp. cum eodem Doctore loco jam cit. quod *virtutes remanent in anima ſeparata, non tamen omnes, ſed ſolum quæ decent ipſam pro tali ſtatu, & quarum remanent potentiæ, non autem aliæ.*

ARTICULUS ULT.

Vtrùm virtutes ſint inter ſe connexæ.

Dicendum eſt virtutes morales eſſe inter ſe ita connexas, ut qui unâ careat nullam habeat.

Prob. quæ ſunt conjuncta cum uno tertio, ſunt etiam connexa inter ſe : atqui prudentia ita eſt conjuncta cum virtutibus moralibus, & virtutes ſunt ita connexæ cum prudentia, ut non poſſit eſſe prudentia ſine aliis virtutibus,

nec poſſint eſſe aliæ virtutes ſine prudentiâ; ergo virtutes ſunt inter ſe connexæ. Prob. min. quoad omnes partes. 1. Ut aliquis habeat virtutem, debet poſſe facere electionem bonam, quia virtus eſt habitus electivus: atqui non poteſt facere ſuam electionem, niſi habeat prudentiam, quia prudentia eſt recta ratio agibilium in particulari; ergo nullus poteſt habere virtutem in ſtatu perfecto. 2. Prudentia eſt recta ratio agibilium in particulari; ergo exigit principia ex quibus recta ratio procedit: ſed nõ poteſt habere talia principia niſi habeat omnes virtutes morales; ergo prudentia non poteſt eſſe ſine illis virtutibus, prob. min. principia agibilium quæ prudentia exigit, ſunt fines virtutum; in virtutibus enim principium idem eſt ac finis: ſed non poteſt habere fines virtutum, niſi habeat ipſas virtutes; ergo prudentia non poteſt eſſe ſine virtutibus.

Obj. Plurimi Sancti Patres docuere Sanctos non habuiſſe omnes virtutes; ergo virtutes non ſunt inter ſe connexæ.

Reſp. diſt. ant. Sanctos non habuiſſe omnes virtutes quantùm ad uſum, & exercitium, con. quantùm ad habitum, neg. quia licet omnes Sancti haberent omnes virtutes, non poterant illas exercere, v. g. liberalitatem circà pauperes, quia non habebant divitias: & illud tantùm intelligunt Sancti Patres, quandò dicunt omnes Sanctos non habuiſſe omnes virtutes.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Errata Corrigenda.

Pagina.	Linea.	Errores.	Correcti.
11.	35	ito	ita
22.	27	corpu	corpus
39.	12	foſlida	folliola
43.	30	attatctrix	attractrix
72.	18	teſtitudini	teſtudini
93.	2	quæ	qua

De Morali.

Pagina.	Linea.	Errores.	Correcti.
3	18	turbuat	turbat
12	22	impugnabrt	impugnabat
33	21	potenti	potentiæ
49	24	quud	quod
49	28	exiſtentius	exiſtentibus
71	26	limbertatem	libertatem
73	8	quiu	quia

Tom. IV.

Digitized by Google

Digitized by Google

K. 5.

RIA A. PANDIMIGLIO • ROMA
1921

Digitized by Google